



Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio III. De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus
Notionalibus, ac proprietatibus personaru[m], & constitutione earunde[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

per speciem, qua constituitur in ratione proximi principij cognoscens) rem cognitam; idque etiam perfecta & substantiali similitudine naturæ, si intelligens sit perfectissimum, ut est Deus.

¹³ Quam proinde rationem hoc sensu ex mente S. Thomæ tuentur non solum Caietanus ead. q. 27. a. 4. & q. 35. a. 2. & Ferrariensis 4. cont. gent. c. 11. sed etiam omnes discipuli & interpres S. Thomæ, in quibus etiam Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. Molina q. 27. a. 4. Suarez cit. lib. 11. c. 5. esto interim ea ratio non sit ita evidens & certa, quin de ea (minus certè, quam de alia quacunq; haec tenus allata) dubitari possit, ut notauit ibidem Gregorius de Valentia: tametsi S. Thomas supposita processione per intellectum & voluntatem, eam videatur habuisse pro evidentie.

¹⁴ Huic addit Suarez cit. lib. 11. c. 6. n. 14. etiam hanc rationem; quod Verbo ex vi & modo processionis suæ communicatur diuina natura, ut intellectualis est, atque adeo secundum propriam rationem essentiale, qua talis natura est; Spiritui sancto vero formaliter comunicatur essentia diuina, solum sub ratione amoris, qui non ita formaliter & per se primo constituit essentiam Dei: vnde non procedit similis in natura ex vi & formalitate processionis sue. Sed quæ ratio supponere videtur, nullam esse distinctionem, etiam secundum rationem nostram, inter diuinam essentiam, & actualem Dei notitiam, cuius contrarium docuimus supra disput. 2. quest. 2.

¹⁵ Atque ex his facile etiam dissolu potest argumentum Vasquez, quo rationem S. Thomæ, & communem euertere conatur, hunc in modum: vel Filius procedit similis in natura, ex vi processionis, quatenus est per intellectum, aut quatenus est per talem intellectum: non quatenus per intel-

lectum; sic enim omnis processio per intellectum esset generatio; Ergo quatenus est per talem intellectum. Cum ergo additur illa pars definitioni generationis, *Ex vi processionis*, non de processione per intellectum in uniuersum intelligenda est, sed de tali processione, qua Verbum procedit, scilicet diuini intellectus: sed si ita loquamur de processione Spiritus sancti: eodem modo procedit similis in natura, ex vitalis processionis, nempe per diuinam voluntatem: Ergo Spiritus sanctus non minus erit genitus, quam Filius.

¹⁶ Respondeo, Verbum procedere à Patre in perfectam similitudinem, seu identitatem naturæ, formaliter quatenus est per intellectum in tali natura; cum enim ratio formalis & abstracta processionis per intellectum hoc habeat, ut id quod procedit ab eo, procedat ut simile ipsis; idcirco quando ea processio fit in natura perfectissima, qualis est diuina, necesse est, ut ea processio per intellectum sit secundum perfectam & substanciali similitudinem naturæ. E contrario vero, quia ratio formalis & abstracta processionis per voluntatem hoc non habet, ut id, quod à voluntate procedit, procedat simile amanti, idcirco ea processio, quatenus formaliter talis & per voluntatem est, hoc sibi nec in natura quidem perfectissima & diuina postulat, ut id quod procedit, procedat ut simile in natura: sed vtrumque tam quod procedens ab ea terminus procedat similis producenti, quam quod procedat in perfectam similitudinem, solum sit quasi ratione subiecti, quia in Deo est, & ipsa processio diuina est; propria interim & abstracta ratione processionis per voluntatem sibi neurum depositente. Contra quam rationem hoc modo explicatam nullam vim habent exceptiones, & instantiae Vasquez, quamvis operose multiplicatae.

Q V A E S T I O III.

De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionibus, ac proprietatis personarum, & constitutione earundem.

S. Thomas 1. p. q. 28. 32. 40. 41.

Ractat quidem S. Thomas de hac in diuersis quatuor questionibus; sed quia hec omnia magnam inter se connexionem & affinitatem habent; nec ferè melius, quam ex mutua eorum inter se comparatione intelligi possunt, idèo omnia simul una questione explicanda proponimus. Absolutur autem hec questione sex dubitationibus. I. An, que, & quot sint relationes reales in Deo. II. Quomodo ab essentia, ac inter se, & à personis distinguantur. III. Utrum relationes personarum in Deo sint de essentia, ratione, & conceptu diuinitatis, deq; ea in abstracto formaliter predicentur; & an vicissim essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum. IV. Utrum relationes reales in Deo formaliter sint perfectiones, & quales; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cetera, tum existentia. V. Quid, & quot in Deo sint notiones, origines, seu actus notionales, ac proprietates personarum; & quomodo hec tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant. VI. Quanam ratione primo ac formaliter constituantur & distinguantur personæ diuine; an per proprietates seu relationes personales, an per origines, seu actus notionales; an utrisque, seu neutri.

DV BIVM I.

An, que, & quot sint Relationes reales in Deo.

S. Thomas q. 1. p. 28. art. 1. & 4.

2 **Q** Via sèpe inter explicationem diuinarum personarum ac processionum, relationum mentio facta est, ipsæque persona diuina ut patet, relationum seu relatiōrum nomine appellantur, vt Patris, Filij, &c. ideo post personas, eamque processiones, de diuinis relationibus agendum; vt distinctè constet, quānam sit ratio eiusmodi relationum, & quānam ratione ad diuinas personas se habeant. Et quod ad præsens dubium attinet, sequentes assertiones statuimus.

3 **Affterio I.** Non datur in Deo vlla relatio reales ad creaturas, nec prædicamentalis, nec transcendentalis. Hæc est expressa sententia Sancti Thomæ 2. cont. gent. capite decimo, & hic quæstione 28. artic. 1. ad 3. & quæst. 13. articulo septimo vbi ait: *Cum Deus sit extra totum ordinem creature, & omnes creature ordinentur ad ipsum & non e converso, manifestum est, quod creature realiter referantur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creature, sed secundum rationem tantum, in quantum creature referuntur ad ipsum.* Idem docent Caïtanus, & omnes Thomistæ, alijque. Commentatores ibidem, item Scotus, alijque. Scholastici plerique in 1. diff. 30. Ferrariensis libro secundo cont. gent. capite decimo. Henricus quodlib. 4. quæstione prima. idemque tueretur Albertinus tomo 2. in prædicam. ad aliquid coroll. seu quæstione 1. & 2. tametsi idem Author tomo 1. princip. 1. coroll. 4. numero 11. cum alijs nonnullis recentioribus, relationes solum prædicamentales ad creature à Deo excludantur, non autem transcendentalis. Præter hunc vero Heruæus in prim. diff. 30. quæst. vn. Soncinnas 5. Metaph. quæst. 25. atque etiam saltem quoad modum loquendi Nominales, Ockam in 1. diff. 30. quæst. 1. & d. 31. quæst. 1. & Ariminensis d. 28. quæst. 2. art. 2. relationes reales, etiam prædicamentales, in Deo constituentur.

4 **Quæ sententia contra communem Théologorum** non est admittenda; tametsi autores eiusdem eam ita explicit, vt re ipsa perfectioni diuinæ naturæ non multum præiudicet; siquidem non ita in Deo ponat relationē prædicamentalem realē quasi realis quædā habitudo (V.G. Creatoris vel Domini) de novo ac in tempore primum intrinsecè adueniat Deo; sed solum, quia vel sit realis quædam habitudo in Deo ad creature ab aeterno, quæ tamen Deum creatorem aut Dominum, non denominet, nisi posita creature tanquam termino: vel quod relatio Creatoris nulla omnino sit habitudo realis ad creaturem, distincta a fundamento, seu perfectione absolute & potentia creandi; sed sit ipsa potentia creandi, quæ supposito termino extrinsecè connotata, scilicet creature, faciat Deum formaliter relatum ad creatu-

ras, absque vlla alia realitate, siue habitudine reali distincta; prout uniuersim ipsi de relationibus etiam prædicamentibus sentire solent.

Quo sensu etiam difficile est, solida & ad aquata ratione eorum sententiam refellere. Sed probatur tamen prima pars assertionis, supposita communi Philosophia. Quia relationes reales prædicamentales formaliter non sunt, nisi existente utroque termino; ac proinde aduenient, primum posita virtusque termini existentia; atque impossibile est, vt primum per existentiam creature Deo noua relatio realis adueniat: sic enim Deus mutaretur. Ergo, &c.

Secundo pars ab Albertino loco citato probatur. Si aliquis in D E O esset relatio realis transcendentalis ad creaturem, nimurū possibilium, tunc D E V S, etiam abstractendo ab actionibus eius liberis, que ut sic ad eius perfectionem non pertinent, adeoque ipse secundum suum esse quoddam naturale, non esset. Ens magis necessarium, quam Entia possibilia, creata, à quibus velut terminis relatio illa realis in Deo dependet; id autem est absurdum: quia Deus, ut in ens ratione prius, ita magis necessarium est, magisque independens, quam creature possibilis; si enim ha possibilis non essent, adhuc Deus esset; non contra: cum possibilis sint per respectum ad Deum velut exemplar & ideam, ut docet Albertinus loco citato. Sed hanc argumentationem non esse firmam, patet ex quæstione quarta, dubio tertio. Ratio ergo potissimum esse videtur; quia absurdum est, Deum intrinsecè secundum aliquid sui dependere quodammodo à creature, saltem velut termino: quo modo omnis relatione realis dependeret à suo termino.

5 **Affterio II.** Dantur in Deo relationes reales mutuae inter ipsas personas diuinias. Ita S. Thomas hic quæstione vigesima octaua, articulo primo, & quæstione octaua de potent. a. 1. vbi ipsem notat, hoc scilicet de fide certum; quod tradunt etiam omnes Scholastici hic, & cum Magistro in 1. diff. 26. Probatur primo ex Scripturis, in quibus non solum diuinæ personæ nominibus relatiuis exprimitur; *Patrus nimirum, & Filij;* sed simul etiam constat, rem per ea nomina significatam, verè ac realiter personis diuinis conuenire, ut quæstione prima & secunda dictum. Secundo idem constat ex Sanctis Patribus; qui passim afferunt, personas diuinas distinguere relationibus, utique à parte rei in D E O existentibus, speciatim Dionysius capite secundo, de diuin. nom. Athanasius oratione secunda & quarta, contra Arianos, & dialog. de Trinitate contra Anomœos, Basilius sermone de fide & libro primo & secundo contra Euromium, Gregorius Nazianzenus oratione prima & quarta de Theologia. Cyrillus libro septimo thesauri, capite primo. Augustinus libro quinto de Trinitate capite tertio & quinto.

6 **Idem** constat ex Concilijs; ex quibus præcepit ad institutum facit Concilium Toletanum XI. vbi dicitur: *Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque referuntur: quæ cum relative tres*

persone

9 persona dicantur, una tamen natura, vel substantia creditur. Et infra: In relatione personarum certius numerus. Idem habetur in Synodo VI. epist. Sophronij: & in Concilio Florentino less. 18. & 19. vbi persona diuinæ dicuntur esse ad aliquid: quod etiam habetur in literis seu decreto vinclis less. 25.

10 Consentit etiam Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 12. cum ait: Substantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Qui proinde vbi capit. 6. negare videtur, in DEO esse proprie relationem, locutus est in DEO ut uno, adeoque de relatione ad creaturas, ut seipsum mox explicat cap. 7. & rectè notauit Suarez lib. 5. capite 1. numero 4. littera S. Thomas hic q. 28. a. 1. & quidam alii alter responderent.

11 Ratio assertio est; tum quia alias non possent inter se distingui ac multiplicari personæ; cum aboluta omnia communia & eadem sint in omnibus, ut magis patebit dub. sext. Tum quia omnia hic ad relationem realem requiri aad sunt. Est enim realis distinctio terminorum seu personarum ex dictis question. prima, dub. primo; vbi tamen hoc singulare est, quod relations istæ, quia substanciales sunt, non accidentales, ut dicemus, eam distinctionem non supponunt, sed faciunt, ut dicetur dub. sext. Est etiam sufficiens & realis ratio fundandi; quia est realis processio inter personas, ex question. præced. Quod si necessarium est etiam fundamentum distinctum à ratione fundandi, eius officium præstat ipsa natura diuinæ, vel secundum se, vel ut est principium Quo productionis; cum etiam in relationibus creatis ratio fundandi sœpe recipia non differat à fundamento; ut in similitudine duorum albedinum patet. An vero, & quomodo necessarium sit eiusmodi fundamentum, & ratio fundandi in his relationibus, infra dicetur. dub. 5. & 6.

12 Assertio III. Relations hæc in diuinis etiam sunt reales, secundum esse Ad. Ita Molina question. 28. articulo primo, Gregorius de Valentia question. secunda. pun. 1. Suarez lib. 5. capit. 1. numero 6. Vasquez d. 114. Albertinus tom. 2. prædicam. Ad aliquid, coroll. 5. & quoad diuinæ relations contentit Torres q. 28. art. 2. contra Capreolum in i. d. 22. quæst. 1. articulo 3. Caietanum hic cit. art. 2. & 3. quæst. 3. artic. 1. Ratio est. Tum quia vniuersim esse Ad, in relatione reali (est secundum totam analogiam abstractam ab esse reali) est differentia quasi contrahens rationem Entis, & accidentis realis ad certum genus, puta relationis, iuxta S. Thomam question. 28. articulo 2. Ergo est in eodem quasi genere Entis. Tum quia esse Ad complete acceptum, cum sit alicuius, & in aliquo, includit velut rationem quandam superiorem ipsum esse in, quæ iuxta omnes realis est. Denique peculiaris ratio est in diuinis; quia persona realiter distinguuntur per relations quæ tales sunt; sicut & Pater formaliter est Pater per relationem quæ talis est, ex cap. Firmiter, de summa Trinit. Ergo relatio Paternitatis, quæ talis for-

maliter est, & non solum quatenus identificatur cum essentia est realis: quod propterea etiam de fide certum existimant Molina & Albertinus locis citatis.

13 Assertio IV. Quatuor tantum sunt in Deo relationes reales; nimur Paternitas, Filiatio, Spiratio (activa) & processio, seu spiratio passiva. Ita Sanctus Thomas question. 28. artic. 4. & loquendo de relationibus in personarum productione fundatis, certa ac communis est omnium Doctorum, quicquid Scotus de alijs quibusdam relationibus question. prima. dubio 8. relatus & refutatus dixerit. Probatur. Quia relationes reales in Deo esse non possunt, nisi ratione processionum ad intra; secundum esse, enim absolutum, & per respectum ad illud, ut nulla est distinctio, ita nulla esse potest oppositio relativa. Et vero necesse est, ut cuiuslibet processioni duas respondeant relationes oppositæ; quarum una sit procedentis à principio, altera sit ipsius principij. Cum ergo duas sint processiones, videlicet generatio, & spiratio, necessario quatuor sunt relationes reales; quæ ita se habent, ut illa quidem ex parte principij generantis dicatur paternitas; quo nimur nomine etiam in humanis affici solet; ex parte vero termini geniti, filiationis; illa vero quæ est ex parte principij spirantis, aliud nomen non habet, quam spiracionis; ex parte vero termini spirati, dicitur processio, seu spiratio passiva: Quamvis alias hæc nomina ex prima impositione, potius ad ipsas processiones seu origines pertineant, non ad relationes. Plura question. prima dubio. 8. vbi docuimus, nec relations æqualitatis seu identitatis; nec diversitatis, inter diuinæ personas esse posse reales; illud quidem, quia non habent fundamentum distinctum; hoc vero, quia pro fundamento habent relations, quæ non possunt esse fundamentum nouæ relationis realis, ne detur processus in infinitum, ut ex communi Philosophia suppono; quandoquidem si eiusmodi relations essent reales in Deo, essent in eo non minus per quandam resultantiæ, quam in creaturis.

14 Assertio V. Relationes personarum in Deo, non sunt accidentiales, nec accidentia; sed substantiales. Ita Theologi omnes cum Magistro cit. dist. 26. & cum S. Thoma hic quæst. 28. a. 2. & eis extra controversiam apud Orthodoxos: Tum quia in Deo nullum est accidens. Tum quia hæc relations sunt propria & formalia distinctia & constitutiva diuinarum personarum, ut patet dub. 6.

Dubitatio quedam est inter Doctores, an spiratio activa & Paternitas (eadem est ratio Filiationis cum eadem spiratione comparata) dicendæ sint duas relations à parte rei. Negat Gregorius de Valentia question. 6. pun. 2. & pro se citat Caietanum hic question. 32. art. 2. Affirmant apud eundem Egidius in prim. dist. 27. articulo primo. question. 1. & Capreolus in i. d. 13. quæst. 1. articulo secundo & alijs recentiores. Sed his facile componitur, si absit æquiuocatio. Aut enim terminus A parte rei,

appellat vocalam *dúas*; & sic cum non sint à parte rei distinctæ, ut patet dubio seq. non sunt etiam à parte rei plures, adeoque nec à parte rei dúas. Aut appellat ipsas solum relationes; & illas nemo vnde negauerit esse à parte rei; sicut nemo negat, esse à parte rei in Deo hæc duo attributa sapientiam & misericordiam; licet à parte rei non sint distincta: id quod Sanctus Thomas cit. quæstione 32. articulo 2. & supra quæstione 28. articulo 4. exprès docet; & cum eo alij communiter omnes. Neque plus dicit Caietanus loco citato, quam non esse duas realiter sive secundum rem, ita scilicet ut à parte rei sint distinctæ, de quo dubio sequenti.

DV BIVM II.

An, & quare ratione relationes diuinæ ab essentia, & inter se, atq; à personis distinguantur.

S. Thom. I. p. q. 28. a. 3. & 4. & q. 40. a. 1.

Vppositis ijs, quæ de attributorum distinctione generatim docimus disput. 2. quæst. 2. res breuiter absolu potest.

Assertio I. Relationes diuinæ nullo modo à parte rei, seu ante operationem intellectus, distinguuntur ab essentia diuinæ. Hæc assertio est contra duas falsas sententias. Prima est Gilberti Porretani Episcopi Picassiensis, qui ut cum Sancto Thoma hic quæstio. 28. artic. 2. & communis Doctorum rectè notauit Suarez libro quarto, capite secundo, planè aliquando docuerat, relationes distingui ab essentia non solum formaliter vel modaliter, sive ex natura rei, ut putauit Vasquez disput. 120. capite 1. sed realiter, ut res à re; ne videlicet simul eadem res diceretur & generans, & genita; eademque seipsum genuisse. Quocirca etiam negabat has propositiones, Deus est essentia diuinæ, Deus est sua sapientia; accipiendo nimur vocabulum Deus pro persona, ut videre est ex ijs, quæ verbatim refert ipsem Vasquez loco citato. Quo sensu etiam non male, nec falso Alensis I. p. quæst. 68. memb. 5. articulo 6. Bonaventurain I. d. 33. quæst. 1. alijque Scholastici, atque ipsem Sanctus Thomas hic quæst. 28. artic. 2. ita referunt Gilberti sententiam, ut dixerit, relationes in diuinis esse velut extrinsecus affixas, non inhærentes diuinæ essentiæ; vt cunque Vasquez loc. cit. exultimet sententiam Gilberti non recte ab eis intellectam.

Secunda sententia est, relationes, adeoque proprietates personales (quas relationes etiam esse, patet dubio 5.) distinguuntur ab essentia diuinæ, ante omnem intellectus operationem, non quidem tanta distinctione, quanta solet esse inter res duas omnino condistinctas; sed qualis esse solet inter rem & modum eius; quæ distinctione dici solet modalis, sive latius ex natura rei. Ita Durandus in I. dist. 33. quæstione 1. & d. 24. quæstione secunda, & in 3. d. 1. quæstione 2. qui etiam eam distinctionem vocat *realē latē*, scilicet ut condistinguit adæ-

quatè contra distinctionem rationis. Idem universim de attributis diuinis sensisse communiter existimatur Scotus in I. d. 2. quæstione quarta & 7. & d. 4. quæstione octava, prout eum etiam intellexerunt Gregorius de Valentia quæst. 13. p. 1. & Vasquez disputatione 120. capite 2. tamen si Scotus nunquam eam distinctionem vocavit realē; sed formalem, vel ex natura rei. Imo quæst. 7. vocat *virtualē*, & negat esse realem actualē, & tandem docet, posse vocari rationis. Eodem ferè modo de relationibus comparatis ad essentiam loquuntur Ockam in I. q. 1. Marsilius q. 6. Gabriel in I. d. 2. art. 1. & art. 3. dub. 3. alijque Nominales apud Suarez libro 4. cap. quarto, num. 2. qui prouide existimat, Scotum, & istos fortè à communi reipsa non dissentire.

Sed quicquid sit de hoc, contra utramque sententiam, pro certo habendum est, quod in assertione dictum, uti cum Sancto Thoma hic quæstione vigeſima octava, articulo secundo, & quæst. 39. articulo primo, & quæstione octava, de potentia habet communis ac certa omnium, tam veterum aliorum, quam recentiorum, sententia apud citatos; adeo ut etiam prior illa sententia Gilberti in fide erronea, & re ipsa heretica conſeat; et si Gilbertus, quod pertinacia absuerit, nunquam ideo fuerit hereticus existimatus, ut videre est apud citatos.

Alteram vero sententiam Durandi Vasquez loco citato, quia putat à Gilberti sententia non differre, consequenter existimat non minus quam Gilberti errorem, fuisse damnatum; Gregorius autem de Valentia quæstione decima tercia p. 1. & alij communiter iudicant, parum esse fidei consentaneam.

Probatur assertio primum ex Scripturis iam etiam superioris relatis quæstione 1. dubio octavo. Ioann. 10. versu 30. *Ego & Pater unum sumus*; Et I. Ioann. 5. versu 7. *Hic tres unum sunt; nimurum in essentia*. Secundo probatur auctoritate Ecclesiæ. Nam in Concilio Remensi sub Eugenio III. ex instituto damnata fuit opinio Gilberti: qui eam quoque ibidem, citra pertinaciam, retractauit, præsente Sancto Bernardo, qui multa etiam contra eundem scriptit sermone 80. in Cant. & libro 5. de considerat. In eodem Concilio definitum fuit, personam esse diuinam substantiam, & Deum, & Deitatem, & relationem, etiam esse Deum; item tres personas esse unam diuinitatem, & unamquamque proprietatem esse Deum, ut videre est in actis eius Concilij, & fuisse prosequuntur Baronius tomo duodecimo, & Vasquez cit. disp. 120.

Præterea in Concilio Lateranensi cap. *Damnum*, de summ. Trinit. & Fid. Catholic. definitur, non esse in Deo quaternitatem, seu quaternarium numerum rerum; ibidemque afferitur, tres personas esse unam rem, esse unam essentiam & substantiam. Et in fine dicitur; *Id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino*. In Concilio quoque Florentino sessione 25. in declaratione fidei à Gracis etiam approbata, hæc verba leguntur: *Ne ipsam eandem substantiam, non autem solam ratione ab hypostasiis & personis*

differe

differre credere videamus. Quod etiam habetur, soll. 17, 18, & 19. Atque ex eodem Concilio Florentino loc. cit. & Toletano II. ac XI. defumitur receptum illud Theologorum axioma: *In diuinis omnia sunt unum, ubi non obuiat relationis oppositio.* Idem tradidit Boetius loco citato, assert. 2. & Damascenus libro primo, de fide capite undecimo, vbi ait, *tres personas secundum omnia idem esse, excepta oppositione relationum.* Quod etiam frequenter docent alij Patres, apud citatos.

6 Tertio probatur ratione. I. Quia omnis eiusmodi distinctio ante operationem intellectus, earum rerum, quae sunt in unaquaque persona diuina, pugnat cum simplicitate eiusdem Dei, definita in Concilio Lateranensi cap. Firmiter, de sum. Trinit. Est enim vera compositione in Deo, si personalitas seu relatio, vlo modo ante operationem intellectus distinguitur ab essentia; quia unitum est essentia, ut distinctum quid ab ipsa, sicuti in creaturis accidit: secus est de personis ipsis comparatis inter se; nam sic non vniuntur ad constituendum unum; & ideo non componunt: si vero comparentur ad essentiam, in illa habent summam unitatem, atque adeo simplicitatem, citra ullam distinctionem à parte rei, ut suo loco dictum. II. Quia si talis entitas est quiddam à parte rei distinctum à divinitate, seu essentia diuina, necesse est, esse quiddam creatum; quicquid enim Deus non est, creature est; qua est ratio Sancti Thomæ hic citata, questione vigesima octava, articulo secundo. III. Quia alias personalitas in DEO non erit, essentialiter, nec dici poterit. D E V S; nec Paternitas, aut etiam Pater vere dici posset diuinitas; sicut in humanis Petrus non est humanitas, sed homo; nec suppositum natura.

7 Obijicitur pro sententia Durandi. De eodem in re prorsus indistincto non possunt simul affirmari contradictionia de extremo reali, puta producere, & non producere; quorum illud dicitur de persona, & non de natura diuina. Item communicari re ipsa conuenit naturæ Patris, non autem personalitati virtutis; hanc enim formaliter propriè Filio non communicat.

8 Ad hac & alia similia respondeatur, ea proprie non esse contradictionia; quia sunt de re, virtute seu eminenter multa, nec eodem modo in utraque propositione accepta, unde sufficit ad ista distinctio virtualis, ut dicatur. Plura quæ hoc referri possent, dissoluimus supra questione 1. dub. 4.

Assertio I I. Relationes ab essentia differunt ratione. Ita omnes Scholastici cum Sancto Thoma hic questione 28. articulo secundo, excepto Aureolo in 1. d. 2. part. 3. articulo quarto, cui tribui solet contrarium, quia dicit, *non esse aliud conceptum essentia à proprietate: quod tamen nulla ratione potest intelligi;* ea enim, quæ formaliter conceptu differunt, & de quibus contradictionia simul affirmari possunt, necesse est ratione saltem distinguiri.

Assertio III. Relationes ab essentia propriæ distinguuntur sola ratione, & quidem viatoris,

seu abstractè cognoscentis tantum. Prima pars est communis Sancti Thomæ hic questione vigesima octava articulo secundo; aliorumque Theologorum. Ratio patet ex dictis: quia quæ ratione differunt, & in re nullo modo differunt, non nisi ratione differunt. Idem expressè habetur in Concilio Florentino loco citato, idque ob consensum tot Græcorum & Latinorum Patrum, iure magnæ authoritatis esse debet; licet directè non sit definitum. Secundam partem tradunt Capreolus in 1. d. 8. quest. 4. art. 3. Molina hic quest. 28. art. 2. disput. 3. Suarez libro 4. cap. 4. num. 17. Vasquez disp. 118. cap. 2. contra Henricum quodlib. 5. quest. 1. Durandum in 1. d. 2. quest. 3. num. 20. & Torrem hic quest. 28. a. 2. disput. 2. dub. 3. qui docent, etiam à Deo & beatis ita distinguiposse; quod de beatis etiam admittere videtur Caetanus quest. 13. a. 4. Ratio assertioñis est. Quia hoc est alicuius imperfectiōnis, intelligere ea, quæ non sunt à parte rei distincta, velut distincta; adeoq; ratione distinguere; quandoquidem hoc fieri non potest, sine pluribus & inadæquatis conceptibus, tametsi negandum minimè sit, Deum quoque & beatos hanc distinctionem à nobis factam cognoscere, sicut vniuersim de attributis diuinis diximus, disputatione 2. questione 2.

10 Assertio IV. Relationes seu proprietates personales magis distinguuntur ratione, quam alia pleraque, quæ in diuinis ratione itidem distinguuntur. Ita communis, quam tenuit & declarant Torres questione 28. articulo 2. disput. 1. part. 2. Molina ibidem cit. disput. 2. Suarez libro 4. cap. 4. numero 15. Vasquez disput. 117. cap. 3. & disput. 121. cap. 5. Albertinus tomo 1. princ. 7. coroll. 1. num. 20. aliter tamen & aliter. Torres, Molina, Suarez, & fere Albertinus, ex communi ita explicant, quia aliquando quiddam ratione distinguuntur solum, quia pro arbitrio concipientis diverso conceptu, verbi gratia, subiecti & prædicati, unum & idem prorsus concipiatur, absque omni fundamento in re. Ut cum dico, Petrus est Petrus, vbi distinctione fieri dicitur per rationem absque fundamento in re. Quandoque res vna est, sed distinguuntur tamen ratione, cum fundamento in re, eò quod pluribus æqualeat à parte rei distinctis; siue hoc fiat solum per respectum & comparationem ad creaturas; quomodo pleraque attributa diuina, quæ scilicet operationem aliquam immanentem non respiciunt, inter se & ab Essentia diuina distinguuntur, ut omnipotencia, aeternitas, immensitas, simplicitas, & perfectio Dei, &c. siue hoc fiat etiam comparatione plurium, quæ formaliter sunt in ipso Deo; quomodo distinguuntur relationes ab essentia; quandoquidem re ipsa sunt plures relationes in DEO, & plures personæ. Talis etiam distinctione est inter voluntatem & intellectum diuinum; fundata nimis etiam in pluralitate personarum; è quibus à parte rei vna solum per intellectum, altera per voluntatem procedit, ex dictis quest. præced. Oppugnat hunc modum explicandi variam distinctionem rationis Vasquez loco citato, & aliam ipse ad fert;

sed cui satisfecimus supra disp. 2. quest. 2. dub. 3.
vbi hac de re plura.

11 **Affertio V.** Ea distinctio recte vocari potest rationis ratiocinata, seu virtualis ex natura rei. Ita communis Doctorum: & virtualis ex communi vocant Caietanus quest. 32. art. 2. Gregorius de Valentia passim, presertim questione 13. punct. 1. Molina quest. 28. art. 2. d. 2. Suarez lib. 4. cap. 4. & Albertinus loc. cit. Terminum ex natura rei addit Molina, & approbat Suarez numer. 15. qui tamen alteram appellationem rationis ratiocinata videtur preferre, & simul tamquam questionem de modo loquendo ita resolut: si semel, inquit, concedatur in re ipsa non esse actualē distinctionē inter relationē & essentiam, neque etiam in re ipsa personalitate esse propriū modū, quatenus à vera entitate distinguuntur, in alijs solum esse differentiam in locutione; sive illa distinctio vocetur rationis, sive formalis (quo tamen modo non vult appellari Molina) sive virtualis, aut fundamentalis. Nam ad hanc distinctionē omnia suo modo conueniunt; & ideo à quolibet illorum denominari potest. Proprie tamen, & ad tollendam aquivocationem, dicetur rationis ratiocinata. Ita Suarez, qui recte addit: non simpliciter appellandam ex natura rei, nisi cum addito virtuali, seu fundamentali.

12 Ex quibus sumitur ratio: quia rationis ratiocinatae vocari solet distinctio rationis, quae habet fundamentum in re: virtualis recte dicitur, vt significetur, non esse quidem aliquam actualē distinctionē ante operationem intellectus, esse tamen adeo eminentis entitatis ea, que ipsa vnum sunt, vt ea ipsa entitas ob suam infinitatem, & ilimitatam perfectionem, aequiualeat & identificetur pluribus re distinctis; quod in nulla creatura entitate accedit. Additur, Ex natura rei, vt significetur, distinctionē eiusmodi virtualis, aequiuale, seu potius eminenter continere actualē ex natura rei, qualis esse solet internaturam & hypostasin creatam.

13 Vbi tamen notandum, discriminē esse inter virtuale distinctionem, & distinctionem rationis, si formaliter & proprie loquamus: quia virtualis distinctio, non est aliqua distinctio vera & actualis seu formalis; sicut quod eminenter, seu virtute tale est, verè, actualiter, & formaliter tale non est: significat tamen fundamentum, quod est in re ipsa ad distinctionem rationis faciendam. Vnde etiam est ante operationem intellectus, non minus quam ipsum fundamentum, quod est, vt diximus, singularis eminentia ipsius rei, quae vnde continet ea, quae in creaturis diuisa sunt. Rationis autem distinctio, cum sit actualis distinctio per rationem facta, propriè non est ante operationem intellectus, vt tradit etiam Sanctus Thomas hic questione vigesima octava, articulo primo. Plura supra disputatione secunda, questione 2. & dubio tertio.

14 **Affertio VI.** Comparando vero ipsas relationes reales personarum inter se; ex quatuor relationibus realibus, quas in Deo esse diximus, unaquaque quidem realiter distinguitur ab ea, quae ipsi realiter opponitur; puta Paternitas à Filia-

tione; & Spiratio (actiua) à processione; ac vero trés tantum sunt inter se mortuo ac vicissim realiter distinctæ; nimirum Paternitas, Filiatio, & processio, seu spiratio passiva. Ita sententia Sanctus Thomas questione vigesima octava, articulo tertio, & quæstione 32. articulo tertio ad 3. & est communis Doctorum, contra Durandum in 2. dist. 13. quæstione secunda, qui docuit, spirationem actiua realiter distingui à Paternitate & Filiatione: pro qua sententia Gregorius de Valentia quæstione 6. p. 2. citat etiam Heruëum, quodlib. 7. & Dionysium Carthusianum prim. d. 27. quæstione 1. Sensus autem est, non quod ex quatuor relationibus aliqua sit, quæ à nulla ex illis quatuor realiter distinguitur: semper enim ab una altera opposita realiter distinguuntur, vt dictum; sed quod una sit, quæ non distinguatur realiter ab omnibus & singulis.

15 Et vero oppositas relationes eiusmodi inter se realiter distingui est de fide, vt bene notauit Vasquez in commentario eiusdem articuli; non solum quia id ex personarum distinctione necessario colligitur, vt dicemus, sed etiam quia id per se etiam definitum est. Nam in cap. Firmiter, de summa Trinitate, & fid. Catholic. dicitur: *Hec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, secundum proprietates personales discreta.* Et in Concilio Toletano XI. Hac ergo sancta Trinitas, que una etiam veris est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim personarum numerus cernitur; in diuisitatu vero substantia, quid enumeratur sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad innicem sunt; & in hoc numero carent, quod in se sunt. Idem habetur ex Boetio, Damasceno, locis supra citatis, & Anselmo, libro de processu. Spiritus sancti, capite secundo, ex quibus etiam, vt dictum, habetur receptum illud axioma, *In Deo omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.*

16 Ratio vero est manifesta. Quia vt recte Sanctus Thomas; relativa oppositio (intellige secundum terminos reales) non potest esse, nisi inter realiter distincta: at vero inter relationes diuinæ, si unaquaque cum opposita sibi comparetur, est relativa oppositio, cum hac necessario ac intrinsecè consequatur ipsas relationes sibi correspondentes; neque dubium, terminos esse reales, puta realem paternitatem, realem filiationem, &c. ex dictis, Ergo: &c.

17 Ratio secundæ partis, quam speciatim tradunt Sanctus Thomas questione trigesima secunda, articulo tertio, & quæstione quadragesima, articulo primo ad 1. Egidius in 1. d. 27. art. 1. quest. 1. Richardus dist. 28. art. 1. quest. prima. Capreolus d. 13. quæstion. 1. art. 2. Scotus ead. d. 13. quæstion. vn. Marsilius in 1. quæstion. 30. artic. 4. dub. 2. Caietanus, & alij Thomistæ, ac recentiores citat. questio. 32. artic. 2. item Gregorius de Valentia quæstio. 6. punct. 2. sumitur ex citato axiomate Theologico. Quia relationes non possunt inter se realiter distingui, quæ non sunt aut formaliter, aut virtualiter (ratione originis) oppositæ: at vero spiratio actiua, nullæ

nullo modo nec formaliter, nec virtualiter, opponitur Paternitati & Filiationi, sed potius ex parte principij illas supponit, ut suo loco dicemus q. 4. è contrario spiratio passiva, eti formaliter ut sic non opponatur Paternitati & Filiationi; opponitur tamen illis virtualiter, & ratione originis, quia à Patre & Filio est origo Spiritus sancti, quasi fundans eiusmodi relationem. Accedit, quod in Concilio Lateranensi cap. *Damnamus*, definitur, non esse quaternitatem rerum in Deo. In quem sensum etiam Athanasius epist. ad Episcopatum scripsit, *pudenda hæc sibi esse, quaternitatem vel modo pro Trinitate induere*. Denique sequeretur ea relatione spirationis actiua constitui distinctam personam, nempe spiratorem, quia relationibus constituuntur personæ, ut dicetur: at si constitutum est distinctum, etiam constitutum est distinctum. Qua de causa etiam loc. cit. Gregorius de Valentia oppositam sententiam erroneam, aut errori proximam censer.

18 Obijicitur primò. Multiplicato inferiori, etiam multiplicatur superiori: atqui relatio realis est quiddam inferiori ad rem seu entitatem: Ergo illa quadrifariam multiplicata, etiam res toties multiplicabitur; ac proinde in Deo erunt quatuor. Ob quam etiam causam Ockam & Gabriel in 1. d. 7. quæst. 1. existimant, non posse dici esse quatuor relations in Deo. Sed falluntur contra communem S. Thomæ loc. cit. & Scoti in 1. d. 13. quæst. 1.

19 Respondeo igitur, hoc argumentum posse fieri in omni materia, ubi plura sunt distincta ex natura rei tantum, non realiter. Ad propositum vero negatur minor, vniuersim loquendo; quia res propriè non est quiddam superiori per modum vniuersalis seu prædicabilis, ad relationes illas, quas negavimus realiter distinctas, velut plura particularia, sed unum quiddam re ipsa commune & inclusum in ipsis. Eadem enim realitas seu entitas est tam relatio spirationis actiua, quam relatio Paternitatis & Filiationis. Alter responderet Vazquez q. 28. a. 4. n. 15. variari scilicet appellationem, & properea non multiplicari superiori multiplicato inferiori; quod latius prosequitur disp. 121. num. 24. Sed prior responsio videtur plauior.

20 Obijicitur secundo. Si spiratio actiua, quatenus relatio, est realis, & realiter distincta à processione, sequitur esse in Deo relationem aliquam realem per resultantiam, nimirum illam ipsam, relationem spirationis actiua: Siquidē nulla causa est, cur directè & per se eiusmodi relatio realis in Deo existat, cum numerus & distinctio personarum iam aliunde per paternitatem, filiationem, atque superadditam originem spirationis actiua sufficienter constet: at vero consequens est absurdum; esse in Deo relationem realem per resultantiam; tum quia id, quod ad esse rei alterius resultat, videtur habere esse imperfectum, nec per se subsistens, sed ab altero dependens: tum quia haec ratione sequeretur, Filium non habere spirationem actiua communicatam à Patre, quod videtur repugnare Concilio Florentino in literis vñionis, in quibus dicitur, *Patrem communicare Filio*.

omnia, quæ habet, preteresse Patrem. Tum denique quia haec ratione sequeretur, Patrem & Filium a liquid accipere quodammodo à Spiritu sancto. Ergo spiratio actiua nec est realiter distincta à processione, nec omnino realis relatio in Deo.

21 Ad hoc argumentum respondet Albertinus cit. tom. 2. prædicamento Ad aliquid coroll. 6. num. 7. negando sequelam. Ad probationem respondet, Patrem & Filium non satis distinguere à Spiritu sancto per solam originem; cum origo tantum sit quodammodo via ad distinctionem, non formale & principale distinctionum personarum, ut dicetur. Et quamvis haec ratione virtus & relatio spirandi sit prius origine in Patre, quam in Filio, quia Pater eam habet ex se, Filius autem per communicationem à Patre, non tamen ideo Spiritus sanctus prius procedit à Patre, quam à Filio; siquidem prius intelligendus est actus generandi Filium, & postea actus communis spirandi exercitus ab utraque persona. Ita Albertinus loc. cit. verum cum Pater & Filius sint unum principium Spiritus sancti; cumque Spiritus sanctus simul & semel eadem relatione referatur ad utrumque, non videatur satis posse intelligi, relationem actiua spirationis, prius esse in Patre, quam in Filio.

22 Repondeo igitur ad argumentum cum Henrico Gandaveni quodlib. 5. q. 9. & Suarez lib. 5. cap. 8. num. 7. concedendo sequelam, nimirum, relationem spirationis actiua, secundum rationem nostram quodammodo resultare, aut concepi resultantem ex origine tam actiua, quam passiva spirationis: idque plane consentaneum est S. Thomas q. 40. a. 2. & 4. Tum ob dictas causas, maxime ne relatione illa prius sit in Patre, quam in Filio, si ea per se Filio à Patre communicaretur. Tum quia relatio spirationis actiua simul ratione est cum relatione spirationis passiva, quæ tamen secundum rationem nostram nullo modo est prius in Spiritu sancto, quam relatio spirationis actiua sit in Filio, vt pater. Ad primum Respondeo, imperfectiones illas sequi ex natura rerum creatarum, ob terminorum imperfectionem, ex quibus est resultatio. Ad 2. dico, etiam relationem actiua spirationis comunicari Filio, non quidē directa productione, seu comproducione, sed eo modo, qua potest communicari, hoc ipso, quod communicatur illi ipsa natura & vis spirandi, quam mediante actione spirandi sequitur, nostro intelligendi modo, relatio spirationis actiua. Ad tertium respondeo, prius nihil accipere à Spiritu sancto, quia spiratio tam actiua, quam passiva, secundum rationem, prior est persona Spiritus sancti in suo esse constituta; ut dicetur dub. 5. & 6. nec verò Spiritus sanctus habet quicquam, quod non accepit à Patre & Filio.

23 Assertio VII. Comparando denique Relationes cum personis, certum est, eas eti realiter differant, à personis, quibus relative opponuntur, tamen secundum rem idem prorsus esse cum personis, quibus attribuuntur, in quibus tamen iuxta nostrum concipiendi modum recte nihilominus esse dicuntur, cum ad hoc sufficiat distinctio rationis cum virtuali in re. Ita S. Thomas q. 40. a. 1.

ex communi, contra Præpositum, qui cum negaret nomina abstracta propriè Deo conuenire, negavit proprietates seu relationes esse in personis; cumpotius dicendum sit esse personas, non in personis.

24 Ratio assertioñis est quoad primam partem. Quia ex dictis questione. 1. persona realiter differunt, à personis, non ratione essentiæ, aut perfectionis absolute, sed ratione relationum, quibus inter se opponuntur. Ergo necesse est, ipsas etiam relations realiter differre à personis, quibus mediæ vel immediate opponuntur, vt paternitatem à Filio; Filiationem à spiritu sancto &c.

Ratio secunda partis est. quia sicut inter essentiam & relationem nulla est oppositio relativa, ita nec inter personam & relationem eidem inexistentem; puta inter Patrem & paternitatem. Accedit, quod relatio idem est cum essentia, & essentia idem cum persona; ergo cum alioqui, vt dictum, nulla sit inter personam & relationem oppositio, consequens est, etiam personam & relationem eidem inexistentem, à parte rei idem prorsus esse. Denique cum persona sit aliquid unum constans essentia & relatione, si relatio à paternitate re differret, sequeretur personam esse aliquid compositum; quod est absurdum.

25 **26** Ratio tertia partis est. Quia relatio ad personam comparata, habet se, iuxta nostrum, concipiendi modum, quasi per modum forma & proprietatis personalis ad suppositum: Ergo recte dicitur esse in persona; à qua, ob dictam causam, utique ratione differt, & virtualiter; cum forma seu differentia suppositalis seu personalis in rebus creatis, utique à parte rei differat à persona.

Assertio VIII. De relationibus non possunt absolute & sine addito prædicari participia & verba notionalia; V. G. paternitas generat, aut paternitas est generans; et si prædicitur de personis. Ita S. Thomas cit. quest. 40. a. 1. ad 3. ex communi. Ratio est. Quia tametsi personæ & relationes ijsdem inexistentes secundum rem idem sint, differunt tamen secundum modum significandi: personæ enim sunt, & significantur ut supposita; proprietates autem, non ut supposita, sed ut forma suppositorum: Ergo participia & verba notionalia non possunt absolute & sine addito de relationibus prædicari: Consequentia probatur. Quia participia & verba notionalia significant actus notionales, actus autem suppositorum sunt, & de his prædicanter, non de formis, quæ ut sic actiū non sunt; esto idem sint cum suppositis: quia in his propositionibus, in quibus agere seu actio in actu exercito absolute prædicatur, ad veritatem non sufficit verificatio in sensu identico, sed requiritur, ut vera sint in sensu formalis, ut dictum q. 1. dub. 7. & dicetur rursum dub. 5. Dixi absolute non posse prædicari, quia cum addito benè dici potest. paternitas est res generans, ut in simili de Essentia dictum cit.

q. 1. dub. 7.

D V B I V M III.

Vtrum relationes personarum in Deo, sint de essentia, ratione & conceptu diuinitatis, deg̃ ea in abstracto formaliter prædicetur;
& an vicissim Essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum.

Ad S. Thom. 1. p. q. 28. 2. 2.

Tametsi ex dictis constet, relationes esse ratione distinctas ab essentia, dubium tamen restat, vtrū non in ratione & conceptu ad quato essentiæ includantur, vel contra; seu vicissim alterū ad rationem alterius quoquis modo pertineat; cu etiam inter ratione distincta vnum possit esse de ratione & conceptu alterius, sicut definitio de ratione definiti; superioris de ratione inferioris; pars de ratione totius, &c.

Et quod ad priorem partem questionis attinet, est triplex Doctorum sententia. Prima vniuersim affirmat, attributa etiam relativa, adeoque relationes esse de quidditate, essentia, ratione, & conceptu ipsius diuinitatis. Ita Thomistæ quidam recentiores apud Suarez lib. 4. c. 5. & tribuitur Caetano hic q. 28. artic. 2. & quest. 39. a. 1. & videtur consentire Gregorius de Valentia questione 13. pun. 1. Citatur etiam S. Thomas hic q. 28. a. 2. ad 3. cum aut, *in perfectione diuini esse omnia includi.*

Secunda sententia est, relationes seu attributa relativa esse de ratione seu conceptu. Essentia; quare si in propositionibꝫ serueretur sensus formalis, de essentia in abstracto formaliter non prædicari. Ita vniuersim de attributis diuinis sentiunt Ariminensis & Capreolus in 1. d. 8. Vasquez, disp. 119. c. 2. & alij citati disp. 2. q. 2. dub. 5. particulariter autem de attributis relatiis, quiequid sit de absolutis, ita docent Henricus Gandavensis q. lodi. lib. 5. q. 6. Egidius in 1. d. 34. a. 2. Argentina ibidem, Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 9. vbi ait: *Paternitas non est de conceptu diuinitatis, etiam si prout in se est, conceptiatur.* Idem docent Torres quest. 28. artic. 2. & Molina eodem artic. 2. disp. 4. & disp. 6. conc. 3. & 4. & Suarez hic lib. 4. capit. 5. qui tres tamen de attributis absolutis oppositum docuerunt, ut suo loco dictum. Idem plane docet S. Thomas quest. 33. art. 3. ad 1. vbi ait; *in Deo communia includi in intellectu propriorum, (nimis) personarum; at non e converso: sicut Deus est de conceptu Patris, sed non contra.* Et q. 8. de potentia a. 2. dicit istam propositionem, *Essentia est Paternitas, non esse per se.* Et 3. part. q. 3. a. 4. dicit, *nostrum intellectum intelligere posse bonum est, & alia attributa essentia, non intellecta paternitate, & Filiatione.*

Tertia sententia est Albertini tom. 1. princip. 7. coroll. 1. dub. 2. qui distinguendo ait, *Relationes sive diuisive (distributiuē intelligit) sive collectiuē sumptas, non esse de essentia Dei; ne communicata essentia cogamus admittere etiam*

commu-

communicari relationes; disiunctum vero esse de essentia, ne ea ut sic carere dicatur ultimo quasi complemento substantiae, quæ est personalitas.

Eadem serè sententiarum varieras est circa alteram partem questionis, An essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum. Primo enim Molina hic q. 28. a. 2. disp. 6. & Vasquez disp. 12. cap. 2. & 4. fuisse tenuit, non solum conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentiae, sed etiam conceptum essentiae non includi in conceptu relationis.

Secundo Torres & Zumel, hic q. 28. art. 2. & Suarez lib. 4. cap. 7. et si negent relationes ut sic esse de conceptu, ratione, & essentia diuinitatis, dicunt tamen essentiam diuinam esse de conceptu formaliter omnium relationum diuinarum.

Tertio denique Bannes hic q. 28. art. 2. vtrumque assit, & relationes esse de essentia & conceptu diuinitatis, & hanc vicissim de quidditate & conceptu relationum. Nos insistendo ijs, quæ docuimus cit. disp. 2. q. 2. dub. 5. & 6. sentimus, formaliter & iuxta nostrum concipiendi modum, nec relationes esse de conceptu & ratione essentiae, nec essentiam esse de conceptu relationis: quod sequentibus assertioribus declaramus.

Assertio I. Attributa omnia etiam relativa, prout à parte rei in Deo existunt, sunt de essentia, quidditate & ratione ipsius Dei ac diuinitatis. Hæc viderunt mens auctorum prima sententia superius relata. Probatur I. Quia in Esse diuino nullum proflus est accidentis, nec praedicamentale, nec praedicable; saltem loquendo de ijs attributis diuinis quæ Deo ipsis simpliciter & absolute necessario competunt, ut sunt etiam relationes personarum, ex dictis. II. Quidditas essentia diuina intrinsecè adeoque essentialiter includit omnes perfectiones, tum simpliciter simplices, tum possibilis in tali ente: cum reipsa sit ens perfectissimum, in seipso intrinsecè includens omnes perfectiones modo possibili & optimo. III. Quia alias facendum est, à parte rei unius rationem obiectivam & quidditatem, non esse rationem & quidditatem alterius; quo fieret, ut plures essent quidditates seu realitates à parte rei in Deo, etiam non oppositæ: hoc vero est absurdum: sic enim ex consequenti admittenda est comparsatio inter essentiam & attributa: convenienter enim ad unum aliq. cōstituendum, etiam ut distinctæ quidditates à parte rei, & ante operationem intellectus. IV. Si relationes non essent à parte rei, ut in Deo sunt de essentia Dei, tum à parte rei essent modi quidam substantiales, ipsam essentiam ultime compleentes & determinantes; sed impossibile est, ut essentia Dei ullis modis substantialibus vere ac in reipsa perficiatur seu determinetur. Ergo, &c.

Objeicitur. Communicata essentia totum communicatur, quicquid est de quidditate ipsis: Ergo cum Pater Filio communicet totam suam essentiam, etiam communicabit Paternitatem, quæ est de essentia ipsis: consequens vero est absurdum: Ergo, &c.

Ad hoc argumentum, quod ab omnibus, saltem propter identitatem realem relationum cum

essentia, necessario soluendum est, Respondeo antecedens esse verum; si ea inter se non distinguantur virtualiter, modo explicato dub. præced. Quia vero hæc saltem virtualiter distincta sunt, non est necesse, uno communicato, etiam alterum formaliter communicari. Plura q. i. dub. 4.

Assertio II. Iuxta nostrum tamen imperfectum concipiendi modum, relationes personarum sunt extra essentiam, seu potius extra conceptum essentiae diuinae, adeoque ita de se mutuo formaliter non prædicantur. Ita docent auctores secundæ sententiae supra relata. Probatur primo ex SS. Patribus & Concilijs. Ita enim docet Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. vbi ait, relationes non prædicari de Deo secundum substantiam, neque etiam secundum accidentem; sed ut ad aliquid. Et lib. 7. cap. 2. & 4. dicit, aliud esse in Patre, esse Patrem, vel esse Deum, seu esse simpliciter. Idem habet Anselmus lib. de Spiritu sancto. Et Boëtius lib. de Trinit. disertè assit & probat, Trinitatem non dici substancialiter (id est, essentialiter) de Deo. Idem indicant SS. Patres, quando communia vocant essentialia, propria vero personalia. Fauent etiam Concilium Lateranense cap. Firmiter & cap. Damnamus, de summa Trinitate, & fid. Cathol. & Concilium Florentinum decreto unionis, & alia, dum asservant, Patrem communicasse Filio totam essentiam, non vero relationem. Distinguunt ergo SS. Patres & Concilia secundum rationem nostram, essentiam & essentialia à relationibus, non solum tanquam totum à parte, sed etiam adequate inter se.

Secundo probatur ratione. Tum quia singula ista habent in nobis conceptus formales adequate distinctos, quorum unus scilicet non includit alium. Concipimus enim essentiam velut formam completam, perfectissimam, omni alia natura superiore; relationes vero, seu proprietates personales, quasi modos quosdam substantiales ipsius essentiae, non quod tales à parte rei sint, vere scilicet perficientes naturam; sed quod instar talium seu proprietatum, seu modorum concipiuntur, omni imperfectione seclusa. Tum quia alias aut formaliter communicari oportet ipsas relationes omnibus personis; aut certe nulla persona per se spectata, iuxta nostrum concipiendi modum, est simpliciter Deus; utpote secundum se carens formaliter aliqua perfectione, quæ est de ratione intrinseca & conceptu Dei, etiam iuxta nostrum concipiendi modum.

Assertio III. Eodem modo, & cum eadem distinctione, respondendum est ad alteram partem questionis: nimur à parte quidem rei essentiam diuinam intrinsecè & quidditatè includi in relationibus; at vero secundum nostrum imperfectum concipiendi modum non item: ac proinde absolute loquendo, essentiam diuinam non esse de ratione formalis, & conceptu relationum. Probatur & declaratur ex dictis. Nam cum à parte rei nulla proflus sit inter hæc distinctio; sed omnis eorum distinctio fiat solum per varios conceptus imperfecte diuinum esse apprehendentes; ipse vero Deus multo minime sub eiusmodi conceptum varietate, ut est in se, propria notitia concipiatur, nec vel ipse, vel etiam beati ita Deum cognoscere.

cognoscant, distinguentes varijs eiusmodi conceptibus relationes ab essentia, vel essentias à relationibus, ex dictis dubio praecedenti; sequitur à parte rei vnam tantum simplicissimam entitatem ac quidditatem esse, in qua nihil sit, quod sit extra illa, seu rationem obiectum illius. Nostro vero imperfecto concipiendi modo, cum alia sit ratio, aliusq; conceptus essentie, alias relationum, 10 ideo iuxta nostrum concipiendi modum, nec relations in essentia, nec essentia in relationibus seu conceptu eorundem formaliter includuntur; ac proinde nec formaliter de se inuicem prædicantur.

Et confirmatur. Quia alias consequens videatur, Verbum diuinum per essentiam suam terminare naturam humanam, non minus quam per relationem, seu proprietatem personalem. Quarum enim rerum eadem est ratio formalis, carum etiam proprietates & operationes, seu predicata sunt eadem: seu quod idem est, quod formaliter includit rationem prædicti alicuius, de eo etiam formaliter prædicari potest talis attributi operatio seu functio. Quod etiam hoc syllogismo magis patet: Verbum diuinum terminat naturam humanam: Verbum formaliter est essentia: Ergo essentia terminat. In quo Syllogismo expiatorio conclusio est falsa, & tamen præmissæ in contraria sententia conceduntur. Neque hic valer responsio, terminum *Essentiam*, etiam si singularis, æquivalere tamen pluribus re distinetis; ac re ipsa pluribus communicari: quia hoc tantum obstat, quo minus essentia diuina in eiusmodi Syllogismo expiatorio possit esse medium terminus, non autem, quo minus possit esse maius, vel minus extremum, vt in proposito accidit.

Atque hæc procedunt de relationibus in abstracto, comparatis cum essentia: at vero si loquamur de relationibus in concreto, hoc est, de ipsis in personis diuinis, tum procul dubio in suo conceptu intrinsecè includunt *essentiam*, vt suppositum quolibet, naturam; quod omnes non minus fatentur, quam quod relations personarum saltem oppositæ, & quæ personas constituunt, vt dicimus, cum inter se realiter distinguantur, non sint de conceptu sui ipsarum, mutuo inter se.

Obijicit contra secundam & tertiam assertiōnem. Si essentia diuina formaliter non includit relations, nec relations formaliter includunt essentiam, vt dictum, sequitur, nec essentiam, nec relations personarum in Deo esse simpliciter infinitas, saltem iuxta nostrum concipiendi modum: hoc autem videtur absurdum, &c.

Respondeo, veram esse sequelam, si loquamur de infinito in omni genere entis; falsam, si loquamur de infinito in suo genere, puta essentia, seu relationem, sive proprietatum personalium: si 12 12 enim ratione nostra relations ab essentia distinguimus; ita necesse non est, vt vel relations sint infinita etiam in genere essentiae, aut vt essentia sit infinita etiam in genere relationum; satis est quilibet esse infinitas in suo genere, vt in simili etiam respondet Suarez lib. 3. cap. 10. num. 8. Plures huius generis objectiones dissoluimus cit. disp. 2. q. 2. dub. 5. & 6.

DVBIVM IV.

Verum Relationes personarum in Deo formaliter sunt perfectiones, & quidem simpliciter simplices; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cetera, tum Existentia.

Ad S. Thomam 1. p. q. 28. a. 2.

Non est quæstio, an Relationes personarum in Deo, prout idem sunt cum essentia, sunt perfectiones; constat enim inter omnes, eas hac ratione spectatas, esse perfectiones, seu potius ipsammet perfectionem essentiae diuinæ: sed quæstio est, & celebris inter Scholasticos controværsia, de relationibus formaliter sumptis, quatenus ratione nostra distinguuntur ab essentia, non quidem, hoc sensu proprie & principaliter, vt queratur, an relations diuinæ, præcisæ vt relations sunt, abstrahendo quod sunt tales relations, sunt perfectiones, vt Barnes, & alij nonnulli Thomistæ recentiores existimasse videntur; hoc enim sensu quæstio merè Philosophica redderetur: sed queritur, an illæ formaliter, vt sunt etiam tales relations, nonne in Deo, seu diuinæ, ab ipsa tanten essentia Dei ratione distinctæ, sunt perfectiones. Ratio autem difficultatis est: quia si non sunt perfectiones, quomodo sunt veræ relations reales; cum vnaquaque res, vt sic dicat perfectionem: si autem sunt; ergo vna perfectio est in vna persona diuina, quæ non est in alia: ac proinde singulæ non sunt infinitæ.

De qua re prima sententia est, relations in Deo formaliter vt sic, nec perfectionem, nec imperfectionem dicere; ac proinde nec dari plures perfectiones personales in Deo, quæ & inter se realiter, & ab essentiæ perfectione ratione distinguantur. Ita docent Scotorum in 3. d. 1. quæst. 1. & 4. & quodlib. 5. a. 1. & 2. Durandus in 3. d. 1. q. 3. Richardus in 1. d. 24. art. 1. q. 3. Capreolus d. 7. q. 1. a. 2. Caietanus hic q. 28. art. 2. tametsi idem in 3. part. q. 3. a. 1. de relationibus quatenus formaliter personalitates, & subsistentes sunt, oppositum doceat. Eandem sententiam sequuntur communiter Thomistæ recentiores, & Molina quæst. 42. a. 6. disp. 2. Fundamentum huius sententiae potissimum sumitur ex ratione dubitandi allata.

Secunda sententia est, esse quidem ynamquamque relationem formaliter perfectionem, etiam simpliciter simplicem, sed non distinctam à perfectione ipsius essentiae diuinæ; ac proinde nec esse plures perfectiones, sed eandem; quæ in Patre sit Paternitas, in Filio filiatio. Ita Maior in 1. dist. 33. ad 2. & Torres 1. part. quæst. 2. 8. art. 2. disp. 3. part 2. Verum recte Suarez lib. 3. cap. 9. notat, hanc sententiam vel sibi non constare, vel à priori non differre.

Tertia

4 Tertia sententia est, ipsas relationes addere perfectioni essentiæ Diuinitatis perfectionem simpliciter simplicem ratione distinctam; atamen non esse tres perfectiones reales in Deo, etiam addendo *relatiæ*; nec aliquam perfectionem realem esse in una persona, quæ non sit in alia; eo quod perfectio hæc realis sit ipsa quasi integritas Deo, quæ una est, & ex omnibus simul tribus relationibus consurgit. Ita Vasquez disputat. 122. capit. 6. Quæ sententia, quanta patiatur difficultates, sigillatum & prolixè ostendit Suarez cap. 9. à num: 5.

Quarta sententia afferit, relations diuinæ formaliter dicere perfectiones in Deo, tam rationes distinctas à perfectione essentiæ diuinæ, quam realiter inter se, si quidem singulæ cum sibi oppositis conferantur; ac proinde etiam bonitatem absolutam transcendentalē esse vnam in Trinitate; relatiam verò vnicuique personæ propriam. Ita Gabriel in prim. d. 7. quæst. 3. artic. 3. Heruæus in 1. d. 2. quæst. 4. artic. 1. Clitouænotis in Damascenum lib. 1. capit. 11. Gregorius de Valentia quæst. 2. pun. 1. Suarez lib. 3. capit. 9. à num. 15. & videtur sequi Zumel hic art. 2. disp. 5. Differunt tamen hi authores nonnihil inter se, quia aliqui sentire videntur, eas perfectiones esse simpliciter simplifices; alij non item; vt dicetur.

5 Assertio I. Relations personarum in Deo omnes & singula formaliter sunt perfectiones ratione distinctæ ab essentia. Hæc assertio est auctorum quartæ sententiae, contra omnes tres sententias priores: prima enim absolute negat, formaliter esse perfectiones; secunda negat, esse distinctas à perfectione essentiæ; tertia negat, singulas per se esse perfectiones reales, & inter se distinctas; siquidem omnes vnam duntat perfectionem constituere ait.

Probatur primò. Quia omnis relatio realis, etiam creata, qua formaliter talis, est perfectio realis, non tantum secundum *Eſt in*, hoc est, sub communi ratione accidentis; sed etiam sub *Eſt ad*, hoc est, sub sua ratione propria, qua constituitur tale accidens: quia entis realis differentia, quasi constituens, non potest non esse realis; vt etiam superioris dictum dub. 1. quicquid in contrarium supponat Thomistæ recentiores citati. Secundo. Relations in Deo, licet formaliter abstractant & præscindant ab essentia, non tamen ab omni entitate diuina, cum formaliter sint relations reales, & proprietates personales, & concipiunt à nobis velut modi substantiales ipsius essentiæ: omnis autem entitas diuina formaliter est utiq; aliqua perfectio diuina. Tertio negari sine absurdo non potest, Patrem vt Patrem esse bonū, itemq; Filium; alioqui nec vt sic se mutuo amarent, nec à nobis essent amabiles; quod plus quam absurdum est. Quæ argumenta cum procedant tam de omnibus, quam singulis relationibus, sequitur, omnes & singulas esse perfectiones reales.

6 Assertio II. Relations hæc personarum sunt plures perfectiones reales relatiæ, atq; si quæque cum opposita conferantur, re distinctæ. Est sententia corundem contra eosdem; & se-

quitur ex præcedenti assertione. Quia cum sint relations inter se distinctæ, & vnaquæque earum per se dicat propriam perfectionem, necesse est, vt sint plures perfectiones re distinctæ; non absolutæ, vt patet; Ergo relatiæ.

Nec verum est, quod quidam objiciunt, sanctos Patres nunquam ita fuisse locutos. Nam Damascenus lib. prim. de fid. capit. 11. diserte ait; Patrem & Filium distinguimus perfectionibus personalibus. Alij non negarunt, sed potius ea principia constituerunt, ex quibus id necessario, & per evidentes consequencias deducitur. Notandum tamen, quoad modum loquendi, ex Suarez cit. cap. 9. num. 20. cum perfectio absolute dicta in Deo, soleat intelligi de perfectione absoluta, cautela & vitandi erroris periculi causa expedire, vt non dicantur absolute & simpliciter plures perfectiones in Deo realiter distinctæ, sed cum addito relatiæ.

7 Assertio III. Hæc perfectiones singulæ formaliter acceptæ sunt quidem infinitæ, etiam iuxta nostrum intelligendi modum; non tamen nisi in suo quasi genere seu specie. Priorē partem omnes authores quartæ sententiae communiter admittunt. Et ratio est. Quia nulla perfectio potest esse in DEO, nisi infinita, saltem in suo genere seu ratione; cum omnia, quæ sunt in Deo, vt pote Ente simpliciter infinito, sint etiam infinita singula in suo genere seu ordine. Secundam partem reddit tradit Suarez cap. 10. numero 8. et si videatur alter loqui Gregorius de Valentia loco cit. Probatur. Quia cum relatiæ perfectiones ratione nostra distinguantur ab essentia, ceterisque attributis absolutis, nec ea ex dictis dub. præced. iuxta nostrum intelligendi modum formaliter includant, multo vero minus relatio vna includat alteram sibi oppositam, non possunt simpliciter in omni genere entis formaliter dici infinitæ; sunt ergo singulæ infinitæ in genere quasi relationis, seu potius talis relationis, pura Paternitatis, Filiationis. &c. Ad quod satis est, omnem perfectionem relationis, seu talis relationis, formaliter veleminenter, seu æquivalenter continere, modo possibili optimo; vt quidem continent istæ, quarum singulæ etiam alias sibi oppositas quasi eminenter seu potius æquivalenter continent, ratione essentiæ, in qua omnes identificantur.

8 Assertio IV. Verius dicitur, has non esse perfectiones simpliciter simplices. Ita Suarez cit. lib. 3. cap. 10. num. 4. & 5. contra Gabrielem loco cit. saltem verbo tenus, & vt appareat contra Gregorium de Valentia loco cit. aliosque auctores nonnullos secundæ & tertiae sententiae citatos. Tota autem controverbia est de nomine, & de modo loquendi, pendens ex definitione & varia acceptance perfectionis simpliciter simplicis; quam, vt alibi dictum, Theologi ex Anselmo in monolog. cap. 5. communiter ita definiunt; perfectionem, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa; id est, quam alia quilibet cum ipsa incompossibilis. Nam si vocula, in quolibet,

restrin-

restringatur ad naturam, ut sensus sit, quæ in quilibet natura melior est ipsa, quam non ipsa, vt quidem exponendam esse pluribꝫ contendit Vascquez disp. 122. cap. 4. tum facile ac verè poterit hæc definitio personalibus relationibus seu proprietatibus applicari. Si vero, vt iacet, amplè accipiatur, pro quo quisente, adeoque etiam pro supposito, non potest hæc definitio perfectionibus relativis diuinarum personarum applicari; quia nō possumus de singulis vere dicere; Est melior ipsa, quam non ipsa, seu opposita ipsi, in quoquis ente; quia Paternitas non est melior in Patre, quam opposita, seu cum ea incompossibilis, nempe Filatio, vel contra. Et quia hic sensus verbis definitio magis congruit, & aliundè etiam melius est, nullam perfectionem simpliciter simplicem personis singulis formaliter denegare, ideo magis probatur hic modus loquendi; cum præsertim, restrictio illa, ut vocula illa, *in quolibet ente, dicitur*, quauis duntaxat natura accipiatur, nullum habeat fundamentum.

9 *9* **Assertio V.** Tam bonitas proinde transcendentalis, quam reliqua transcendentia, ut Res, Ens, vnum, verum, tam in concreto, quam in abstracto, pluraliter dici possunt in diuinis, addito termino respectiu, seu relativa. Ita Torres quest. 39. art. 3. & Suarez lib. 3. cap. 6. 7. 8. 10. ex communi recentiorum; conformiter Sancto Thomas 1. p. quest. 39. articulo 3. ad 3. Vbi docet, nomen *Res* dici pluraliter de tribus personis, quia transcendens est; quicquid de quibusdam eiusmodi nominibus veteres quidam scrupulosius sint locuti, faciendo discrimen inter *Rem* & *Ens*, vt fecit etiam S. Thomas in 1. d. 25. a. 4. Ratio sumitur ex dictis, cum enim Relationes singula formaliter sint perfectiones quadam reales & inter se distinctæ, necesse est, ut sint plures realitates, adeoque etiam entites (cum hæc plane sint synonyma, & inter se conuertantur) adeoque etiam bonitates, veritates, vnitates, addendo tamen, ad erroris periculum cauendum, relativa. Et quia transcendentia de rebus omnibus tam concretæ, quam abstractæ prædicari possunt, æque etiam faténdum est, esse plura entia, plures res, plura vna, vera, bona, relativa.

10 **Assertio VI.** Sed & probabilius videtur, esse, quoque in diuinis personis plures existentias personales seu relativa; adeoq; relationes ipsas personarum formaliter ac immediate non existere, per existentiam absolutam existentia sive naturæ diuinæ, sed per proprias existentias relativa, ratione distinctas ab Esse seu existentia existentia. Ita docent Barthol. Medina 3. part. q. 17. a. 2. dub. 3. Zumel 1. part. q. 28. Fonsca lib. 5. Metaph. cap. 8. Suarez hic lib. 3. cap. 5. & in 3. part. disp. 11. sect. 2. & indicant Alensis 1. part. q. 44. Richardus in 3. dist. 1. art. 1. q. 2. & Scotus in 1. dist. 1. quest. 2. vbi dicit, non solum quidditatem seu rationem, formalem relationis distinguunt ab existentia, sed etiā esse relationis similiter distinguunt à diuina existentia: tametsi Albertinus tom. 2. prædicamen. Ad aliquid coroll. seu question. 9. cum alijs non nullis contrarium sentiat, ratus, relationes diuinæ existere vnica tandem & eadem existentia.

absoluta, qua existit essentia; quod etiam indicat Sanctus Thomas 1. part. quest. 30. artic. 2. & 31. part. quest. 3. art. 2. & quest. 17. art. 2. ad 3. & quest. 2. de potentia art. 6. & quest. 8. a. 2. & quest. 9. art. 8. & præsertim 1. part. q. 29. art. 2. vbi dicit, *existentiam & relationem habere idem Esse*. Idem indicant Capreolus apud Suarez hic loc. citat. & Caietanus 3. part. q. 17. art. 2.

Probatur tamen assertio primo ex SS. Patribus. Augustinus lib. 5. de Trinitat. capit. 6. & lib. 7. capit. 4. ait, *Aliud est, esse DEVUM, aliud esse Patrem*; nempe secundum distinctionem rationis, ut explicat S. Thomas 1. part. q. 28. articulo 2. Eundem loquendi modum imitantur Anselmus lib. de Procl. Spiritus sancti in principio, & Magister in 1. distinct. 28. §. præterea. Idem satis aperte tradit Richardus de Sancto Victore lib. 4. de Trinitat. cap. 12. & sequentibus, præcipue cap. 17. & 18. vbi ait: *secundum est, existentiam designare substantiale esse; sed aliquando, quod sit ex communis, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate*. Nec oppositū sentiunt alij Patres; licet enim diserte non constituant in Deo plures eiusmodi existentias relativa (sicut nec tria vna, vera, bona, seu entia diserte ac totidem verbis in Deo afferunt); sed potius vnum Esse absolute diuinæ existentia; vnumque Ens per existentiam assertant; non tamen negant tres existentias relativa; sicut nec tria vna, vera, bona, Entia relativa, vel superioris diutum.

11 Secundo probatur ratione. I. Quia etiam in creaturis Relationes (quæ minus & imperficiuntur esse habent, quam diuinæ) habent suam propria existentiam, distinctam ab existentia termini & fundamenti, ut communiter omnes fatentur. II. Quia existentia & relatio diuina concipiuntur à nobis, ut ratione distinctæ, & simul tamen vtrumque extreum concipiatur, ut actuale ens, & non ut potentiale tantum: Ergo extrema illa habent distinctas existentias secundum rationem nostram. III. Existens eiusmodi existentia non includitur in ratione & conceptu formaliter ipsius relationis, ex dictis dub. præced. Ergo relatio necessario habet existentiam ratione distinctam ab existentia existentia: siquidem de ratione relationis diuinæ est existentia, eamque ipsa intrinsecè includit. IV. Paternitas, prout ratione distinguuntur ab Essentia, est velut quadam forma Patris: Ergo dat illi aliquid esse, quod non est Esse existentia, nec potentiale; ergo actuale & existentia. V. Cum filius quidem à Patre accipiat & esse Dei, & Esse Filii, tamen Esse Dei non producitur à Patre, sed supponitur in Patre, ut omnes fatentur; Esse autem Filii non supponitur in Patre, sed producitur à Patre, quod nemo potest negare: Est ergo esse Dei ab Esse proprio filii ratione distinctum. VI. Existentia nihil aliud est, quā entitas actualis; seu entitatis actualitas: sed tres relationes & proprietates personales sunt tres entitatis actuales inter se realiter distinctæ, & ratione ab essentia: Ergo sunt tres existentiae relativa; quandoquidem nomina substantia absoluta, non multiplicantur, nisi multiplicetur forma ex dictis quest. 1. dub. 7.

Nec

13 Nec obstat, quod relationes sunt duntaxat modi quidam ipsius essentia: nihilominus enim sunt etiam perfectissimæ entitatis; & non solum res absolutæ, sed etiam modi rerum, habent existentiam propriam sibi accommodatam, ita ut quanta est distinctio inter rem, & modum, tanta sit etiam inter existentiam rei, & existentiam modi, ut bene Suarez loc. citat. & fatetur Albertinus loco cit. tametsi nonnulli contrarium supponant.

14 Nec magis obstat, quod existentia essentia est infinita; quia existentia hæc non est magis infinita, quam ipsa essentia, cuius tamen infinitas non obstat, quo minus relatio habeat suam propriam rationem formalem, ac veluti quidditatem rationem distinctam ab essentia, ut superius dictum.

15 Neque Sanctus Thomas locis citatis in contrarium, oppositum videtur sentire, solum enim loquitur de Esse absoluto, quod simpliciter & absolute tale dici solet, non de esse respectivo, quod prout ab absoluto distinguitur, non nisi cum addito relativum, ut si simili ante dictum, dici debet, ad erroris periculum cœwendum.

Et quamvis assertio potissimum procedat de relationibus, quæ propriæ personales dicuntur, quæque etiæ inter se realiter distinguuntur, nihilominus tamen etiam de relatione communis spirationis actiæ recte intelligitur, seruata tamen proportione, ut existentiam propriam habere dicatur, ratione quidem distinctam ab existentia essentia, non tamen realiter distinctam ab existentijs aliarum durarum relationum, à quibus in re nullo modo distinguitur, nimurum Paternitatis & filiationis.

Affirmatio VII. Essentia autem, vel quidditatem tres, etiam cum addito, relativæ, in Deo non sunt afferenda. Hæc est communis sententia; nemo enim, quod equidem sciens, ita loquitur, aut loquendum esse concedit; imo & Scholastici, & SS. Patres perpetuo unam tantum in Deo essentiam affirmant, plures negant: est autem quidditas idem, quod essentia. Ratio est. Quia hæc rationis, proprie loquendo, propria videntur naturæ; & absolutæ in Deo, non relativæ perfectionis; & omni nouitate in materia tam ardua, & periculosa abstinentur est. Quanquam Scotus in 1. distinct. 11. questione 2. sub finem dum quidditatem diuinæ relationis appellat, non ægræ fortassis plures eiusmodi quidditates relativas admitteret: sed ut dixi, nouitas fugienda.

16 Atque ex dictis facile soluitur ratio difficultatis initio proposita, ob quam Authores nonnulli, ut dictum, in oppositam sententiam induci sunt, quod relationes formaliter non sint perfectiones. Cum enim dicitur: Alioquin consequens fore, ut perfectio aliqua, etiam infinita, sit in una persona, quæ non sit in alia: Respondetur cum distinctione. Nam si sermo sit de perfectione infinita simpliciter simplici, negatur ex dictis: si de alia, rursum distinguitur: Nam si sensus sit, quæ nullo modo, nec eminenter, quidem seu æquivalenter sit in alia, negatur; quæ non sit formaliter ut sic in alia persona;

qua talis persona est, conceditur: hoc vero non est absurdum; sed ad Trinitatis mysterium necessario consequens; ac simul satis est, ad omnimodam infinitatem singularum personarum. Quia ad rationem entis infiniti simpliciter satis est, formaliter continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, & eminenter seu æquivalenter omnem aliam: ut patet etiam exemplo Essentia diuinæ, imo & ipsius Dei secundum se. Neque etiam propterea una persona non erit æquæ perfecta ac duæ, vel tres; quia formalis perfectione non simpliciter simplex, addita ultra continentiam eminentiam, non reddit perfectius; sicut pater in humanitate adiuncta Verbo; ut reæ Suarez cit. lib. 3. cap. 10. num. 7. In quem sensum etiam ad hanc difficultatem respondimus supra quæst. 1. dub. 4.

Sed objicitur secundo. Perfectiones diuersæ quasi speciei non possunt esse æquales; non magis quam diuersæ rationis quantitates: Ergo si sunt tres perfectiones relativæ in Deo, necessario erunt inæquales; ac proinde personæ ipsæ non erunt æquales secundum perfectionem.

Respondeo primo, si proprie loquamus, relationes illas nec æquales esse, nec inæquales, ut cum Sancto Thoma dictum quæstion. 1. dub. 8. Quia tamen aliquando latius vocabulum æquabilitatis sumitur, Respondeo secundo, cum Suarez ibidem num. 9. quicquid sit de rebus creatis, antecedens vniuersum sumptum, ac rebus etiam diuinis applicatum, falsum esse, nec posse probari. Ratio in præsenti est; quia tam perfectum terminum & fundamentum habet una relatio, quam habet alia: sunt ergo in proprijs suis perfectionibus (etiam si maxime abstractus ab essentia, in qua omnes identificantur) æquales. Neque vero in diuinis vbi natura eadem numero communicatur, perfectius est dare, quam accipere: quicquid Clitoueus in Damascenum lib. 1. cap. 11. videatur concedere, Paternitatem, secundum propriam perfectionem relativam, dicere maiorem perfectionem, quam formaliter dicat Filatio. Quo modo etiam intelligit Damascenum ibidem, & alios Patres græcos dicentes, Patrem esse maiorem Filio, non natura, sed dignitate personali; de qua tamen re partim actum est quæst. 1. dub. 8. partim agendum quæst. seq. dub. 1. Atque hæc responsio à nobis antea allata in omni sententia admitti debet. Siue enim relationes formaliter sint perfectiones, siue non; siue singulæ per se sint propriæ perfectiones, siue tantum conferant ad unam integrum & completam Dei perfectionem, nemo negare potest, esse diuersæ quasi speciei & rationis: neque tamen quisquam vel in se inæquales esse dixerit, aut inæqualiter conferre ad integrum illam perfectionem Esse diuini. Accedit, quod neque in creatis rebus diuersitas specifica quantitatis semper infert inæqualitatem, ut patet in linea & superficie, quæ propriæ nec æquales sunt, nec inæquales; ut pluribus dictum quæst. 1. dub. 8. Cætera ex dictis soluuntur.

DVBIVM V.

Quid, & quot in Deo sint notiones, origines, seu actus notionales, ac proprietates personarum, & quomodo hac tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant.

S. Thom. I. p. q. 32. 40. & 41.

I Vppositis ijs, quæ hactenus de diuinis personis, earumque processione, ac relationibus diximus, non habet hæc res opus multa inquisitione, vel disputatione; sed propè sola terminorum explicatione, cum mutua eorundem comparatione; quæ duo notationibus & assertionibus sequentibus breuite exequimur; neque enim hæc inter se facile disiungi possunt, cum ex sua ratione sint coniunctissima.

Quod igitur ad Notiones personarum diuinorum attinet, Notandum est primo, vocabulum *Notio* in hac materia usurpare Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. sed, vt appareat, paulò alio sensu, quam à Scholasticis postea fuit acceptum. Augustinus enim ipsum actum intelligendi, quo cognoscimus aliquid proprium de aliqua persona, *Notionem* videtur vocasse, dum ait: *Alia est notio, qua intelligitur Genitor; alia qua Ingenius.* Scholastici vero Doctores, vt notauit Sanctus Thomas hic q. 32. art. 2. & 3. hoc nomine intelligunt rationem aliquam obiectuam in abstracto significatam, qua cognoscitur, & quodammodo denotatur persona, siue ea sit omnino propria vnius personæ, siue duarum; modo non sit aliquid essentiale, adeoq; commune tribus personis, ita vt proinde *Notio* non sit aliud, quam nota quasi personæ. In quem sensum etiam Basilius epist. 43. de persona Iobi in scriptura descripta dixit: *Quia autem is fuerit, proprijs illis notionibus designat.* Et paulò superius de proprietate individui generativi loquens ait: *Qua quidem peculiari notio res una ab altera disparatur.* Quæ postea ipse etiam ad diuinam applicat, vt dicemus. Et similia haber lib. 2. contra Eunomium, vbi etiam has notiones appellat *formas* proprias personarum, *notas*, & *charæcteres*. Et vero in eundem facile sensum accipi etiam potest Augustinus loc. cit. vt intellexerit scilicet non conceptum formalem, sed conceptum seu rationem obiectuam, non qua, siue per quam formaliter, sed qua, siue secundum quam obiectuè intelligitur Genitor, vel Ingenitus, &c.

2 Porro ad rationem Notionis spectat primò, vt sit ratio aliqua per modum quasi formæ in facto esse significata, propria vnius, vel duarum personarum: Secundo, vt iuxta nostrum saltem concipiendi modum sit aliqua dignitas persona, iuxta Sanctum Thomam quest. 32. art. 3. ad 4. & communem.

3 Quod vero ad actus Notionales attinet. No-

tandum secundo, iuxta Sanctum Thomam question. 41. articulo 1. à Notione *Notionale* vocari, quicquid est proprium alicuius personæ: quare actus notionalis est, quo significatur processio persona, seu activa, seu passiva; qui actus producere etiam *origines* personarum dicuntur. Neque enim Doctores solent distinguere inter *origines*, & *actus* notionales; sed habet hæc pro synonymis, vt videre est apud Suarez lib. 6. capit. 1. & Valquez citat. question. 41. articulo 1. conformater S. Thomæ ibidem. Nam & activa, & passiva productio concipitur, vt quidam actus medius inter vnam personam & aliam; altera vt producentis in productum; altera vt producenti à producentis. Neque vero negat Sanctus Thomas cit. quest. 41. art. 1. productionem in Deo esse veram actionem, vt quidem hæc præcisè dicit viam & quasi tendentiam ad terminum, qui producitur, remota imperfectione motus; licet non ideo sit passio in Deo, nisi grammaticalis, vt ipse loquitur eodem articulo 1. ad 3. quia in ipso nulla est receptione. Actus ergo notionales seu *origines* dicuntur Generare, seu Generatio, vel quod idem est, Dicere & Dictrio, item Natuitas, seu Generatio passiva, denique Spiratio activa & passiva.

Notandum tertio, quod ad proprietates personarum attinet, hoc nomine generativi intelligi rationem aliquam obiectuam, vni personæ propriam; non autem eam, quæ duabus, aut pluribus est communis. Differt proprietas persona, iuxta consuetum usum loquendi Theologorum, apud sanctum Thomam quest. 32. a. 3. à relatione seu proprietate personali propriæ accepta: Proprietas enim, seu vt loquitur S. Thomas, loco citato, *Notio personalis*, à Theologis dicitur, quæ non solum propriæ est vnius personæ, sed etiam personam aliquam constituit; proprietas autem personæ generativi est ratio quædam personæ vnius propria, siue illam interim propriæ constitut, siue non, vt expresse docet sanctus Thomas loc. cit. Hispositis, de ratione & numero Notiorum, originum, seu actuum notionarium, & proprietatum, eorumque inter se mutuo, atque etiam cum Essentia & personis diuinis comparatione sequentes assertiones statuimus.

Affterio I. Necessario in diuinis admittenda sunt *Notiones*, seu notæ personarum, abstractis nominibus significante. Ita S. Thomas q. 32. a. 2. & est communis Doctorum, contra Præpositiū antiquum Scholasticum, qui vt refert S. Thomas ibidem dixit, abstracta in diuinis proprie locum non habere, sed cum Deo tribuuntur, poni & usurpari pro concretis; ad eum modum, inquit S. Thomas, quæ consuevimus dicere, Rogo benignitatem tuam, id est, te benignum: ita cum dicitur in diuina Paternitas, intelligi Deum Patrem. Cuisententia fauet etiam Arminensis in 1. d. 26.

6 Sed probatur affterio I. Quia alias hæreticorum importunitati non satis commode occurserre posse, interrogantibus, quo seu per quidnam quæque persona distinguatur ab altera. Pater enim à Filio distinguitur non secundum tortum esse Patris (hoc enim etiam includit naturam

naturam, qua Pater à Filio non differt) sed paternitate, quæ est quædam notio, vt dicetur. II. Quia aliquando vni persona, puta, Patri, duas relations diuersæ conuenient, ad duas distinctas personas, ad Filium scilicet & Spiritum sanctum, qui ambo à Patre procedunt: ex autem relations vni persona conuenient non possunt satis inter se distingui, nisi abstractis nominibus significatae, per modum notionum. Non enim possumus dicere in concreto, Alius est Pater, & alius est Spirator; sed alia relatio seu notio est Paternitas, alia Spiratio. Quod tamen interim in diuinis concretum & abstractum, non nisi ratione ac virtualiter differant, generatim dictum suo loco disputat. 2. quæstion. 2. & recte contra Aureolum tuerunt Capreolus in 1. distinct. 26. quæstion. 1. & Caietanus hic quæst. 32. a. 2. Gregorius de Valentia quæst. 6. punct. 2. Vasquez disp. 136.

Affætio II. Quinque tantum sunt notiones personarum diuinarum; nimur Innascibilitas, seu esse Ingenuitatem (quibus verbis omnis processio passiva excluditur) Paternitas, Spiratio actiua, Filiatio, & Processio; quarum priores duæ, sunt Patris propriæ; tertia propria est Patris & Filij simul, quarta solius Filij; quinta Spiritus sancti. Ita Sanctus Thomas quæstion. 32. articulo 3. & est communis ac certa Scholasticorum veterum ac recentiorum, contra Scotum in 1. distinct. 28. quæstion. 6. qui sextam notionem adstruere conatur, quam vocat *Inspirabilitatem*, propriam Filii.

Sed ratio communis numeri petitur, tum ex Sanctis Patribus, qui his duntaxat notis personas nobis designarunt, non alijs: tum ex ipsa ratione notionis superioris exposta; que adæquate & quasi ad amissim conuenit solis quinque enumeratis notionibus. Nam non spirare v.g. quod pro nota Spiritus sancti videretur posse constitui, non pertinet ad aliquam dignitatem personæ; cum dignius quodammodo sit spirare, quam non spirare, iuxta S. Thomam cit. quæst. 32. articulo 3. ad 4.

Inspirabilitas autem formaliter, & vt præcisè negatio est, dignitatem non significat in Filio, seu persona alioqui procedente; non magis, quam non esse genitum, prout de Spiritu Sancto dicitur: non enim attinet ad alius personæ dignitatem, secundum nostrum concipiendi modum, non spirari determinat, aut non generari; si qua persona alioqui quoouis processionis modo ab alia persona procedat, cum vna processio non sit alia dignior, aut inferior. Quæ ratio, cur *Inspirabilitas* non sit notio, etiam à Torre quæst. 32. art. 3. traditur, & inter varias, quæ referuntur à Vasquez disp. 137. maximè placet. Accedit, quod *Inspirabilitas* in Filio, prout posituum quiddam indicat, comprehenditur sub spiratione actiua: ideo enim filius non spiratur, quia spirat.

Diversa est ratio *Ingenuitatem* seu *Innascibilitatem*; hæc enim notio quamvis formaliter etiam negatiua sit, non tamen vnum tantum aliquem processionalis modum, nimur per generationem (et si hic solum verbo tenus exprimatur) sed omnem

processionem negat in Patre, cui conuenit; ac propterea saltem iuxta nostrum concipiendi modum dignitas quædam est Patris; quæ proinde merito pro peculiari nota seu notione assignatur: præterquam quod ratione positui sub nulla alia nota, quæ vna sit, comprehenditur; licet quodammodo inuoluatur in duabus simul, videlicet Paternitate & spiratione actiua.

Origines autem, vt generare, vel generari, spirare, vel spirari, quia non significantur per modum formæ quasi in facto esse, inter notiones non numerantur; licet ad eas reduci possint. Et quanquam non sit de fide, aut eas quinque rationes, quas pro notionibus adduximus, recte dici *Notiones* (quoniam & hoc contra communem negare temerarium esset) aut non esse plures, quam quinque; tamen contradicte esset, re ipsa aliquam ex eiusmodi notionibus negare; dicendo v.g. Innascibilitatem seu ingenitum esse, vt loquuntur Patres, non conuenire Patri, aut conuenire etiam alijs personis in sensu supradicto, & sic de alijs, vt ex S. Thoma q. 32. a. 4. & communis bene notauit Vasquez q. 32. a. 4.

Has vero notiones eruditè olim descripsisse videtur Basilius cit. epist. 43. ad suum Fratrem. Gregorium Nyssenum, cum ait: *Quoniam igitur spiritus, a quo omnis velut ex fonte ad creaturas premanat bonorum suppeditatio, a Filio quidem dependet; quo cum una sine villa distanta concipitur mente: causa vero Patris insertam habet essentiam, unde & progreditur, hanc notiem ac cognoscibile signum eius, qua secundum hypostasin est, proprietatis habet, quo cum Filio simul & ipse se facit internoscit, & quo ex Patre subsistit.* Vbi processionem à Patre & Filio pro nota Spiritus sancti constituit; & pergit: *Filius vero qui ex Patre progredientem spiritum per seipsum, & cum se ipso notum facit, solus unigenitus ex ingenito lumine reluxit, nullamq; prosus notionum communicationē secundum proprietatem suam (nempe unigeniti) iam cum Patre quam spiritu sancto habet; sed ex dicta iam signis solus agnoscatur.* En Filii notionem. Pergit: *Pater vero, qui super omnia DEUS est, peculiarem hypostasem suarationem solus habet, quod Pater est (En Paternitas vna Patris nota;) & quod ex nulla omnino causa subsistit; (En altera nota Patris Innascibilitas, seu penitus improductum esse:) atque isto iterum indicio & ipse proprie ac separatis agnoscatur. Huius gratia in communicatione tunc & scilicet, nullam dicimus habere conuenientiam, aut communionem notiones istas in Trinitate consideratas: quarum proprietas exprimitur, si una quæque earum personarum, que nobis in fide traduntur, propriis notionibus discriminatis apprehendatur, & agnoscatur: ita ut per dicta iam indicia separatio ac differentia personarum inneniantur.* Ita Basilius, qui mox absoluta illa & essentialia, adeoque communia attributa, infinitum esse, & incomprehensibilem, & increatum, & nullo loco circumscriptum, & quicquid huiusmodi est, à notionum sensu excludit. Etsi vero aperte spirationem actiua pro notione Patris & Filij non constitut, tacite tamen hoc ipsum facit, quando processionem ab vitroque pro notione Spiritus sancti constituit, vt dictum.

Assertio III. Origines, seu actus notionales

personarū sunt quatuor; nimirū generatio actiua, generatio passiua, spiratio actiua, & spiratio passiua. Ita communis apud S. Thomā q. 41. a. 1. & colligitur ex dictis notat. 2. Quia origi nes, seu act⁹ notionales sunt ipsæ productiones personarum, tam passiue, quam actiue acceptæ; at vero ha simul sumptæ sunt quatuor: siquidem duas sunt productiones actiuae, & duas productiones seu processiones passiuae, ex dictis q. 2.

¹⁴ Dices. Actus notionales seu origines idem sunt cum processionibus: processiones autem tantum sunt duas: Ergo. &c. Respondeo; si processionis nomen tam actiue, quam passiue accipiat, ut nomen actus notionalis; tum, æque etiam, quatuor processiones distingui posse; duas scilicet actiuae, & duas quasi passiuae: sed quia potius passiue accipitur: vel certe quia sub qualibet processione coniunctim & actiua simul, & passiua, respectu eiusdem termini, accipitur, ideo numerari solum duas processiones; cum origines & actus notionales, etiam respectu eiusdem termini, tam actiue, quam passiue sumpti, seorsim & distincte numerentur.

¹⁵ Afferio IV. Actus notionalis, seu origo quasi materialiter quidem est ipse actus intelligendi & amandi; at vero formaliter superaddit relationem productionis, que relatio nihil aliud est, quam ipsa relatio personalis, pura Paternitas, Filiatio, Spiratio sive processio; non quidem velut in facto esse, sed iuxta nostrum concipiendi modum, quasi in fieri, seu viâ. Ita habet communis doctrina apud Vasquez q. 41. a. 1. & Suarez lib. 6. capit. 1. & colligitur ex dictis quest. 2. dub. 3. & 4. Ratio est. Quia alioqui si actus notionales dicenter solum per se actum intelligendi vel amandi, tum communes essent omnes omnibus personis; quod est contra fidem; solam autem relationem dicere non possunt; tum quia relations formaliter, ac per se non sunt actiuae; tum quia personæ non procedunt per relations, sed per actus intelligendi & amandi, vt ibidem diximus.

¹⁶ Afferio V. Proprietates personarum vniuersim sunt quatuor: nimirum Innnascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio passiua sive processio: ex quibus tres solum sunt proprietates, seu relations personales. Ita communis apud S. Thomam q. 32. a. 3. vbi tamen ipse non proprietates personales, sed relations & notiones personales à proprietatibus personarum distinguunt, vt dictum: sed auctores alij vtroq; modo loquuntur. Ratio sumitur ex notat. 2. & 3. quia proprietates personarum vniuersim dicuntur, que vnius personæ propriæ sunt; vt sunt quatuor relationes: proprietas autem & relationes seu notio personalis dicitur, que personam constituit; quales tantum sunt tres illæ, quas diximus. Innnascibilitas enim licet alioqui propria sit Patris, tamen formaliter nec relationis est, nec personam constituit; cum formaliter vt sic sit negatio.

¹⁷ Afferio VI. Notiones, actus notionales, sive origines, & proprietates personarum, à parte rei, non magis, quam relations distinguunt ab essentia; vt pote à qua non nisi ratione differunt.

Ita cum S. Thomā q. 28. a. 2. & q. 32. a. 2. & alibi passim communis Doctorum contra Durandum in 1. d. 13. q. 2. qui putauit, relations, adeoque origines, ac proprietates personales, ab essentia distinguire realiter; & contra Scotum quodlib. 5. a. 2. qui putauit distinguiri ex natura rei: quæ sententia eodem proflus modo reicienda ac refutanda sunt, quo supra q. 1. dab. 7. & hic dub. 2. contra eosdem, ac Gilbertum probauimus, nec personas ac relations ab essentia; nec spirationem actiua à Paternitate & Filiatione realiter, aut ex natura rei distinguiri, vt recte Vasquez disp. 138. c. 3. Ratio est. Quia notiones, origines, & proprietates personarum à parte rei, & vt quiddam positum in Deo significant, aliud esse non possunt, quam vel absoluta quadam perfectiones, vel relations, seu quod idem est, quam essentia, aut relations, cum in Deo à parte rei nihil sit præter essentiam, aut relations: Ergo cum tanta absoluta perfectiones, quam relations, seu quod idem est, ipsam relations, sint idem re proflus cum essentia, ex dictis, impossibile est, vt notiones, origines, & proprietates personarum, à parte rei vlo modo ab essentia distinguantur.

¹⁸ Afferio VII. Sieut tamen relations diuerse absolute de se inuicem non prædicantur, etiam à parte rei non differant, vt spiratio actiua respectu paternitatis & Filiationis; ita nec verba actionem significantia prædicantur de notiobus, aut proprietatibus personarum, dicens V. G. Paternitas generat, vel creat, est sapiens vel intelligens. Ita Sanctus Thomas qnæstion. 32. articulo secundo ad 2. & articulo 3. ad 3. ex communi apud Caetanum & Torrem ibidem, & Vasquez disputatione 136. capit. 3. & disp. 138. capit. 3.

¹⁹ Ratio est. Quia quando actio prædicatur de aliquo subiecto, prædicatio intelligitur non sensu identico, sed formaliter; alias dicere possumus, voluntas diuina intelligit, aut intellectus vult: at vero sensu formaliter nulla actio prædicari potest de notiobus, aut proprietatibus personarum: quia actiones sunt suppositorum, nec de vlo abs tracto prædicantur, nisi ipsum sit principium formale talis actionis; vt cum dicimus, intellectus intelligit, voluntas vult aut amat; &c. Ergo nunquam absolute prædicari possunt nomina actionum de notiobus aut proprietatibus personarum. Eadem est ratio relationum, quando ad se inuicem comparantur: quia etiam quando relatio de relatione prædicatur, sensus formalis efficitur, vt bene Caetanus citata qnæstion. 32. art. 3. & Vasquez disp. 138. cap. 3. Non ergo dicere possumus, Spiratio actiua est Paternitas, aut Filiatio, vel contra; quamuis re idem sint iuxta S. Thomam cit. a. 3. ad 3.

²⁰ Verè tamen & recte iuxta eundem q. 32. art. 2. ad 2. dicere possumus, Paternitas est DEVS; & Paternitas (ita legendum, vt habet textus apud Torrem, non Deitas, vt alij) est Pater. Et similiter, inquit Sanctus Thomas ibidem, proprietatem rei, possunt substantia personalia & essentia prædicari de notiobus. Quod intellige de personalibus substantiis, quamvis concretis,

compa-

comparatis cum notionibus abstractis eiusdem appellationis ut ex adiecto exemplo liquet: Relationes enim, & notiones relativa non possunt de alijs diuersis relationibus & notionibus prædicari, vt dictum. Etratio prioris dicti est: quia ad veritatem absolutam illarum propositionum satis est, eas verificari in sensu identico. Sicuti etiam cum addito, in sensu identico, vnam notiōnem seu relationem predicare possumus de alia, cui illa non opponitur, vt recte Torres cit. a. 2. continent. pat. 4.

21 **Assertio VIII.** Comparando vero origines cum personis & relationibus, atque etiam inter se inuicem; sunt illæ planè adæquatè idem cum personis, quibus correspondent; nimur origini actiua cum persona producente; origo passiua cum persona producta, ac in specie generatio actiua cum Patre; generatio passiua cum Filio; Spiratio actiua cum Patre & Filio; Spiratio passiua sive processio cum Spiritu sancto, &c. quæ ratione eadem origines identicè idem etiam sunt cum relationibus earundem personarum: sed & inter se, æque conueniunt vel distinguuntur origines, ac de relationibus seu personis suo loco dictum. Ita expresse docent Magisterin 1. d. 26. & S. Thomas cum eodem hic quæst. 41. art. 1. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quod actus notionales secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum, sed res sunt omnino idem.* Vnde Magister dicit in 1. sentent. 26. distinct. quod generatio & natiuitas, alijs nominibus dicuntur Paternitas & Filiatio. Idem communiter sequuntur alij Theologi, speciatim Durandus d. 26. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 1. Gabriel, & Capreolus d. 26. quæst. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 26. Caletanus, Torres, & Thomista q. 41. a. 1. Item Molina ibidem, Suarez lib. 6. cap. 1. Vasquez q. 41. a. 1.

22 **Etsi contrarium sentiant Henricus quodlib. 6. quæst. 1.** & in sum. artic. 54. quæst. 10. & Scotus in 1. d. 2. quæst. 1. & quodlib. 1. quæstio. 3. quos ex parte sequitur Albertinus tom. 2. Prædicamen. Ad aliquid. coroll. 12. dub. 3. vbi docet, actionem quidem absolutam, qua communicatur ipsum intelligere & essentia ipsi Filio, identificari adæquate cum Patre, at vero actionem relatiuam, qua producitur Filiatio, adæquate identificari cum persona producta; qua ratione putat etiam conciliari posse Doctores, sed fallitur; Sanctus Thomas enim aliquique citati absolute loquuntur, nec agnoscunt duplicum eiusmodi actionem notionalē, vt suo loco dictum.

23 **Ratio assertoris sumitur ex assertione 4.** cum enim origo qualibet idem sit cum essentia & relatione eius personæ, cui attribuitur, seu ad quam pertinet, necessario efficitur, vt qualibet origo adæquate idem sit cum sua persona, actiua cum producente, & passiua cum producta, non cum alia; origines autem actiua & passiua sibi inuicem opposita, non minus inter se realiter differant, quam personæ ac relations. Accedit, quod Pater formaliter generat per actum intelligendi, & spirat per actum amandi; quibus scilicet ipse intelligit & amat: at verò non intelligit & amat per actus a se realiter distinctos: Ergo generat & spirat per actus, qui cum ipso Patre, non-

cum personis productis, identificantur. Addit. Vasquez loc. cit. *eum qui diceret, originem esse quid absoluū secundum rem, grauerit erratum.* Et quamvis Suarez lib. 6. cap. 2. existimet, absque errore & temeritate ita origines posse explicari, vt actiua & passiua processio sint re idem, nec adeo differant à persona producta: recte tamen monet, quia sententia contraria communis est, vt dictum, ab ea non esse recedendum.

24 Obiicitur primo. In humanis actio identificantur cum passione & termino producto; nec aliud est, quam ipse terminus in fieri: Ergo etiā in diuinis.

Respondeo, quicquid sit de antecedente; quod tamen a nonnullis, atque ab ipso etiam Albertino negatur loco cit. Nego consequentiam. Quia diuina est ratio in diuinis actionibus, quibus cum eadem numero essentia communicetur personæ productæ, bene fieri potest, vt actio notionalis, qua ea essentia comunicatur, quaque adeo etiam producit persona, sit eadem cum persona producta & comunicante essentiam. Quo fit, vt in diuinis actionibus immanentibus, præter communem rerum creatarum rationem, actio & passio non sint realiter idem, & in eodem quasi subiecto, vt recte tradunt citati.

25 Obiicitur secundo. Origō actiua realiter procedit & emanat a producente; cum sit verus & realis influxus: Ergo debet esse distincta à persona procedente.

Respondeo, notionalem actionem esse quidem realem influxum in personam seu terminum producendum; at vero ipsam per se realiter non emanare & procedere a producente, sed solum iuxta nostrum modum concipiendi, quatenus ratione distincta concipitur ab ipsa persona: quo modo etiam de sua illa actione notionali absoluta respondet Albertinus loc. cit.

Illud postremum anno, adæquate identificari cum altero loco dici, non solum quod totam alterius entitatem continet, sed etiam quod identificantur cum illa re, & cum omnibus, quæ sunt idem cum illa, & distinguuntur ab omnibus, à quibus illa distinguuntur: quo modo Pater aut paternitas non identificantur adæquate cum essentia, sed inter se, & cum generatione actiua, vt dictum.

26 **Assertio IX.** Etsi notiones, actusque notionales, cum relationibus, ac proprietatibus personalibus aliquo modo conueniant, tamen & inter se mutuo, ac ab iisdem etiam varie differunt. Ita S. Thomas locis citatis præsertim q. 32. a. 2. & 3. aliquique citati ex communi. Probatur & declaratur. Conveniunt enim hæc omnia inter se primo, quod si seruata proportione, & paria cum paribus conferantur, nimur accipiendo & conferendo simul hæc omnia, notiones, actusque notionales, & relationes ac proprietas personales, put vni & eidē personæ cōpetūt, à patre rei nō distinguuntur: sed realiter sunt idem nō solū cum essentia, sed etiam inter se, & cum persona, cui conueniunt, vt dictum. Nam v. g. Innascibilitas, quæ est notio; item generatio actiua, quæ est actus notionalis: item paternitas qua simul est notio, & relatio, & proprietas personalis in patre, à parte rei;

idem planè sunt, & cum essentia, & inter se, & cum Patre; cum hoc tamen discrimine, quod nec essentia sola, nec relatio aut notio, seu proprietas personalis sola, formaliter totum esse personæ, aut etiam actus notionalis includunt: cum tam persona, quam actus notionalis, tam ex relatione, quam ex essentia seu perfectione absoluta intrinsecè cōfident, ex dictis.

27

Secundo conueniunt hæc inter se, quod cum essentia significetur ut *quid*, persona ut *quis*, proprietas, notio, & relatio significantur ut *quo*, vt cum Alensi & alijs ex communi docet Sanctus Thomas cit. q. 32. art. 2. Interrogans enim quid est Pater, inquirit essentiam: rogans quis est Pater, inquirit personam; interroganti quo est Pater, responderetur Paternitate; quæ ut dictum simul est notio, relatio, & proprietas.

Differunt tamen origo seu actus notionalis, à notionibus, relationibus, & proprietatibus, primo ratione modi significandi; notio enim, vt & relatio, ac proprietas personalis, significantur per modum quali cuiusdam formæ, in facto esse, existentis in ipsa persona; origo autem concipiatur & significatur per modum viæ tendentis ad constituendam personam; vnde generare seu generatio formaliter est origo, non autem notio, nec proprietas, ut dictum, & cum Torre q. 32. art. 3. bene notauit Vasquez disput. 137. num. 3. neque absolute & simpliciter etiam relatio, licet hanc quoque includat, ut superius diximus.

28

Secundo differunt Notiones, Relationes, Proprietates, & origines, tanquam includens & inclusum, sive ut excedens & excessum. Nam notio comprehendit omnes relationes ac proprietates; sed præterea aliquam, quæ non est relatio, nempe Innascibilitatem, & insuper aliam, videlicet spirationem actiua, quæ licet sit relatio, non tamen est proprietas. Relatio vero minus late patet quæ notio, cum Innascibilitas sit notio, non tamen relatio, ut dictum: excedit autem, & vicissim exceditur relatio à proprietate; quia aliqua relatio non est proprietas, nimirum spiratio actiua; & aliqua proprietas, ut Innascibilitas, non est relatio, ut dictum. Alioqui tres relationes sunt proprietates; & tres proprietates sunt relationes, nimirum Paternitas, Filiatio, Spiratio passiua, quatenus pro relatione Spirati ad spirantem, accipitur. Quæ ratione & Vasquez hic quest. 32. articulo 2^o notauit, proprietates personales (quæ ut dictum, minus late patent, quam proprietates personalium absolute) Relationes, & Notiones differre, ut inferius, & superius. Omnes enim proprietates personales sunt relationes; & omnes Relationes, notiones; sed non è conuerso, vt ex dictis patet; quia Innascibilitas est notio, quæ tamen nec est relatio, nec proprietas personalis; & spiratio actiua (uno quodam sensu) est relatio, non tamen proprietas personalis.

29

Tertio differunt Origines & Relationes, adeoque etiam Notiones, & proprietates, quæ & quatenus sunt relationes, ratione prioritatis secundum rationem, & modum nostrum concipiendi. Nam vt docet S. Thomas q. 40. a. 4. Origines, iuxta nostrum concipiendi modum, sunt quasi

fundamenta, seu rationes fundandi respectu relationum correspondentium; qua ratione etiam generatio fundamentum quā est Paternitatis, saltem qua formaliter relatio est, non qua personalis forma, vt magis patebit dub. seq.

Quo fit, vt origines partim sint rationē priores relationibus, partim posteriores. Nam actiuae origines supponunt relationes personales, quibus constituantur persona originantes seu producetes, vt generatio Paternitatem; Spiratio actiua, Paternitatem & Filiationem: hoc tamen discrimine, quod relatio Spirationis nullo modo est prior spiratione, vt est origo; Paternitas vero non quidem vt relatio formaliter, sed vt forma personalis est prior generatione, vt expresse docet S. Thomas q. 40. a. 4. & dicetur dub. seq. quicquid nonnulli contradicant.

Origines vero passiuæ similiter rationē priores sunt personis procedentibus & relationibus personalibus earundem; cum sint quasi via ad ipsas; posteriorēs vero relationibus personarum originantium: nisi quod generatio passiua posterior est Paternitate solū, vt est forma hypothistica, non vt formaliter est relatio, vt pluribus dicetur dub. sequenti. Nam Paternitas vt sic, quatenus formaliter est relatio, simul est rationē cum Filiatione; (relativa enim simul sunt natura & rationē) quæ tamen ratione sequitur generationem passiua, tanquam viam ad Filiationem, ut dictum.

Qua ratione etiam Sanctus Thomas cit. quest. 40. articulo 4. ad 1. docet, vtrumque dici posse de Patre; & quia generat, est Pater, vt quidem etiam olim locutus est Magister in 1. d. 27. & quia Pater est, generat: quæ omnia magis patebunt ex dubio sequenti, vbi diuersas etiam hac de re aliorum Doctorum sententias expōnemus.

D V B I V M VI.

Quanam ratione primo ac formaliter constituantur & distinguuntur persona diuina; an per proprietates seu relationes personales; an per origines seu actus notionales; an utrisq; seu neutris.

S. Thom. 1. p. q. 40. a. 4.

*S*upponimus ex dictis dub. 2. & dub. præced. personas quidem secundum rem idem prorsus esse, tam cum Relationibus & Notionibus, ac proprietatibus personalibus ipsarum personarum, quācum actibus notionalibus earundem personarum, vt docet Sanctus Thomas quest. 40. a. 1. ac proinde etiam in sensu identico tam hoc de personis, quam personas de ipsis prædicari; dicendo Pater est Paternitas, & Paternitas est Pater; itē Generatio actiua est Pater, & Pater est generatio actiua.

actiuā: at vero qua ratione primo ac formaliter secundum nostrum concipiendi modum consti-
tuantur & distinguantur personae diuinæ, admo-
dum controversum est inter Doctores; nec sanè
facile est explicatu. Et tria sunt, quæ in contro-
uersiam veniunt, nimirum 1. Relationes seu no-
tiones, sive proprietates personales. 2. origines,
seu actus notionales. 3. Aliquidabsolutum, abo-
mnibus illis distinctum.

Ratio vero difficultatis est. Quia nihil absolu-
tum proprium est alicuius personæ; absoluta e-
nim in diuinis omnia communia sunt & essentialia.
Relatio etiam personalis videtur esse non pos-
se; quia ratio adeoque etiam constitutivum per-
sonæ supponit ad agere eiusdem personæ (cum
suppositorum sit agere) ac proinde etiam ad actus
notionales; puta personalitas Patris ad generati-
onem; at vero Relationes personales non suppon-
nuntur ad actus notionales; cum eos secundum
rationem supponant, tanquam fundamenta seu
rationes fundandi; Paternitas enim supponit ge-
nerationem actiuam. Sed neque origines, seu
actus notionales videntur posse constituere forma-
liter personas; tum ob eandem causam; quia per-
sona Patris ratione prior est omni actu notionali,
cum supponatur ad ipsam generationem actiuam,
qua secundum rationem est primus actus notio-
nalium; tum quia actus notionalis non habet se per
modum formæ in facto esse existentes, sed per mo-
dum viæ solum tendentes ad personam constitu-
endam & producendam.

Atque hoc etiam spectat tota propemodum
questio 40. S. Thomæ, in cuius articulo secundo
querit, *vtrum personæ distinguantur* (adeoque etiam
constituantur) *per relationes*: In tertio, *vtrum ab-
stractis per intellectum relationibus à personis, adiuc re-
maneat hypostasis*: In quarto, *vtrum actus notionales
præintelligantur proprietatibus*: quæ omnia ad pro-
positam difficultatem expediendam pertinent.
Loquitur S. Thomas hoc loco, ubique de perso-
narum relationibꝫ non quibuslibet, sed solum
de tribus illis, quæ cum sint vnius persona pro-
priæ, dicuntur *personales*, vt est Paternitas, Filia-
tio, Processio: de aliis enim constat, propriæ non
constituere vel distinguere personas: sicut neque
Notio Ingeniti, etiæ propria sit solius Patris, con-
stituere potest personam; cum formaliter solum
dicat negationem, quæ non potest formaliter &
intrinsecè constitutre ens positivum.

His positis, sunt de præsenti difficultate vniuer-
sim sex Doctorum sententiae. Prima sententia est
Præpositiū, qui vt refert S. Thomas hic q. 40. a. 1.
& q. 32. a. 2. cum diceret, nullas esse in personis
proprietates, nec absolutas, nec relativas, conse-
quenter docuit, nullis proprietatibus constitui
aut distinguere personas diuinas; sed distinguere scip-
sis, non aliquo sui; nullo verò modo constitui. I-
dem postea docuit Ariminensis in 1. dist. 26. & 27.
q. 1. Sed est sententia falsa & improbabilis; cum
deinde certum sit, personas secundum se totas, &
omnia, quæ in ipsis sunt, aut que ipsæ sunt, non
differre aut distinguere; cum secundum essentiā sint
idē, vt dictum q. 1. Quare vt iuxta nostrū concipi-
endi modum in personis diuinis distinguimus es-

sentiā & proprietates, seu relationes & notiones, ita
etiam recte querimus, quanam ratione ex illis for-
maliter constituantur; & sint tales personæ, quan-
do ad hoc sufficit distinctio rationis, cum virtuali
in re, vt non solum Scholastici & ceteri omnes cum
Magistro in 1. dist. 26. & S. Thomas in q. 40. a. 1.
sed etiam SS. Patres & Concilia loquuntur, vt pa-
tebit. Et quamvis ea sententia potius in verbis,
quam reipſa à communī & recepto Ecclesiæ ac
SS. Patrum & Doctorum loquendi modo dissen-
tiat; non immerito tamen temeritatis arguitur à
Vasquez in disp. 158. cap. 2. alijs.

Secunda sententia item falsa & absurdā, ac iam
dudum antiquata, est, quam refert S. Thomas q.
40. a. 3. quæ dicit, *hypostases constitui origini-
bus, personas autem relationibus*: cum tamen, vt
recte ibidem notat S. Thomas, *omnis hypostasis na-
tura rationalis sit persona*, vt patet per definitionem Boëtij
lib. de duabus Naturis dicente, quod persona est rationa-
lis naturæ individua substantia. Vnde ad hoc, quod esset
hypostasis, & non persona, oportet abstrahi ex parte na-
ture rationalitatem, non autem ex parte persona pro-
prietatem. Ita Sanctus Thomas: & plura de horum
nominum notione & significatione diximus su-
pra quest. 1. dub. 1.

Tertia sententia docet, personas formaliter
constitui & distinguere proprietatibus absolutis. Ita
Ioannes de Ripa apud Scotum in 1. dist. 27. q. 1.
qui & ipse quoque eam probabilem censet; Sco-
tumque tuetur Lychetus in 1. d. 26. quest. vnic.
Eandem secutus est Alphonsus Salmeron tom. 2.
tract. 12. ad 4. & citatur etiam Rupertus Linco-
niensis. Et quidem expedita plane sententia esset,
si absolute aliquid in diuinis commune non es-
set. Sed nunc quid de easentientium sit, dicemus
inferius.

Quarta sententia est, personas propriæ consti-
tui & distinguere originibus, non relationibus seu
proprietatibus; V. G. Patrem generatione actiuam,
non Paternitatem. Hæc sententia refertur à Sancto
Thoma q. 40. a. 2. eamque docuisse videtur Bo-
naudentia in 1. d. 26. q. 2. & d. 27. q. 7. Fundamen-
tum est; quia origo ratione antecedit relationem
personalem: Ergo primo ac magis principaliter
constituit & distinguuit.

Quinta sententia est, propriæ constitui & ori-
ginibus, & relationibus personalibus. Ita docent
Gregorius de Valentia q. 14. punct. 2. Molina hic
q. 40. a. 2. disp. 2. mem. 4. Ratio esse potest; quia
secundum viraque pariter personæ sibi inuicem
oppontuntur.

Sexta sententia est, formaliter & intrinsecè con-
stitui & distinguere Relationibus seu proprietatibus
personalibus. Ita ex communi docent S. Thomas
hic q. 40. a. 2. & 3. Albertus in 1. d. 27. a. 2. Alensis
1. part. q. 65. n. 3. & 4. Gandauensis quodlib. 5.
q. 8. & in summa art. 5. 6. q. 4. Scotus d. 28. q. 3.
Richardus dist. 26. a. 4. q. 1. Egidius d. 26. a. 1. q. 2.
Heruæus q. vn. art. 3. Durandus q. 1. Gabriel. q. 1.
Capreolus questio. 1. articulo 1. Marsilius in 1.
quest. 29. artic. 1. dub. 1. & 2. Ferrarensis 4.
cont. gent. cap. 26. Caietanus, Torres, aliquique
Thomistæ hic quæstione quadragesima, artic. 2.
Suarez libro 7. cap. 7. Vasquez disp. 159. cap. 5.

Albertinus tom. secund. Prædicam. Ad aliquid ,
Coroll. seu quest. 10. dub. 2.

9 Differunt tamen hi autores inter se. Nam I. Capreolus & Ferrarensis docent quidem , personam diuinam constitui per proprietatem relationem , sed non ut relationem , seu ut relationem , & vt ad aliud est formaliter (licet hoc modo distinguatur persona) sed per relationem , quatenus forma hypostatica est ; quod planè etiam docet S. Thomas hic quest. 40. articulo quarto vt dicemus.

10 II. Caietanus cit. quest. 40. articulo 4. dicit , Relationem constitutere personam sub ratione quidem formalis Relationis , seu ut est forma relationis , sed non ut actus exercet officium referendi , quanquam hoc modo distinguat personas . Idem docere videntur Torres cit. quest. 40. art. 2. & 4. & Albertinus loc. cit. qui idcirco negat , relationem ut relationem , sive secundum suam rationem formalem dicere Ad , secundum actum exercitum ; hic enim actus exercitus , inquit , est veluti quidam actus secundus : sed dicit Ad , secundum suam rationem formalem , quasi in actu primo , seu ut est relatio transcendentalis ad Filium . Et paulo superius suam & Caietani sententiam yberius explicans ait : Dicendum est , inquit , cum Caietano 2. part. quest. 40. art. 4. quod in ipsam entitatem relations paternitatis , propter suam infinitatem , est distinguere duplum relationem : altera est , quatenus relatio in primo signo concipitur secundum esse conceptum , ut est forma hypostatica afficiens incommunicabiliter Patrem : in secundo vero signo concipitur secundum esse exercitum , quatenus referit Patrem ad Filium : seu clarius ; ipsa paternitas proper suam infinitatem fungitur munere relationis transcendentalis , & praedicamentalis . In primo igitur signo constituit primam personam incommunicabilem , & facit illam secundam , & potentem producere Filium ; & sic in illo primo signo opponitur Filio tanquam principium productuum ipsum ; in secundo vero signo illamet relatio habet rationem originis ; & in tertio signo fungitur munere relationis praedicamentalis , exercendo actum referendi ad Filium &c. Et hoc forte voluit dicere Caietanus loc. citat. relationem paternitatis in DEO constitutere Patrem , ut conceptam , & non ut exercitam . Ita Albertinus .

11 Rursum verò III. Durandus , Gabriel , & ferè Scotus loco citat. dicunt vniuersalim & absolutè , personas constitui & distinguere relationibus personalibus formaliter , qua tales sunt ; idem docet etiam Suarez loc. cit.

IV. Vasquez cit. capit. 5. licet fateatur , personam Patris (de qua præcipua est difficultas) distinguere formaliter relatione Paternitatis ; dicit tamen , non constitui relatione Paternitatis , sed alia proprietate immutabilis , & fecundiad producendum ; quam vocat etiam rationem primi principii .

12 Cur autem hac in re præcipua difficultas sit de Patre non de alijs personis , ratio est ; quia de alijs personis , cum non exercant actum aliquem otionalem productionis , antequam sua relationes personali vnaquaque constituta intelligatur , satius commode & facile defendi potest , eas consti-

tui ipsis relationibus personalibus : at vero quia Pater debet intelligi potens ad generandum , ad eoque persona , prius ratione quam generet , ad eoque etiam prius quam formaliter sit Pater (cum Paternitatis relatio nostro modo intelligendi sequatur ex generatione , tanquam fundamento seu ratione fundandi) nulla videtur ratione posse intelligi , personam Patris constitui formaliter relatione Paternitatis . Nobis vero in re tam obscura hæc evidentur probabiliora .

13 Assertio I. Nihil distinguendum inter proprium & formale constitutum & distinctum personæ . Ita cum S. Thoma inferius referendo , & plerisque Scholasticis antiquioribus Suarez 1. 7. cap. 4. Gregorius de Valentia , Molina , Albertinus loc. cit. et si non pauci antiquiores & recentiores contradicant , ut vidimus . Idem tradit Scotus in 1. d. 11. quest. 2. Ratio est : quia proprium & formale constitutum & distinctum cuiusque rei eadem sunt ; & quo quaque res formaliter insestituitur , eodem etiam formaliter ac primo distinguitur & differt ab alijs : secundum enim Esse suum formaliter & intrinsecè differt ab alijs , seu per id , quod est ; alias enim si secundum id quod est , formaliter & intrinsecè non differet ab alijs ; tunc idem esset cum alijs , à quibus differt ; quod intelligi nullo modo potest .

14 Assertio II. Omnia quoque personarum diuinarum in proposito par & eadem proportionaliiter est ratio . Ita communis apud citatos contra Vasquez loc. cit. Ratio est ; non solum quia SS. Patres & Concilia eodem modo de omnibus personis loquuntur ; sed etiam quia nulla sufficiens ratio assignari potest , cur una persona constitutur absoluто , altera relatione ; si enī una potest per absoluто constitui & distinguere ab altera ; cur non omnes vicissim ac mutuo ? Contra Vasquez autem speciatim facit ; quod aut ratione absolute illius perfectionis completur persona Patris adæquate in sua ratione , qua ab alijs personis distinguatur , aut non : si sic ; ergo per absoluто etiam illud ab alijs distinguuntur , & non primum per relationem : si non ; ergo nec per illud absoluто sufficienter constitutur .

15 Assertio III. Personæ formaliter constituantur & distinguuntur non proprietate absolute , sed relationibus personalibus , seu proprietatis . Hæc est communis , ut vidimus , veterum ac recentiorum Theologorum sententia , à qua non est tutum satis recedere ; cum praesertim Torres , & alij recentiores oppositam sententiam erroris arguant : in quem sensum etiam Vasquez disputat . 15. numero 13. ait ; Ioannem de Ripis & Scotum manifeste lapsos fuisse , quod afferant , distinctionem inter diuinas personas ex proprietatis absolute oriri , cum SS. Patres uno refatentur , ex sola relatione desumti . Quamuis Suarez lib. 7. capit. quint. de ea paulo mitius censeat : sicut etiam Vasquez loco citato ait ; quod ad constitutio nem personarum attinet , non ita plane damnari posse prædictam sententiam . Et vero relationibus solum , non autem aliquo absolute constitui & distinguere personas , tuerit etiam Aureolus in 1. d. 26. quest. 1. a. 1. & 2.

Proba-

16 Probatur primo ex Sanctis Patribus. Augustinus libro quinto de Trinitate capite secundo, de Patre & Filio ait: *Quicquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero; vbi exp̄sē sentit, absoluta omnia utriusque esse communia.* Et libro nono de Trinitate capite primo. *Credimus, inquit, Patrem, Filium, & spiritum sanctum unum esse Deum, creatorem uniuscē creature, atque rectorem; neque Patrem esse Filium, neque spiritum sanctum vel Patrem esse, vel Filium; sed Trinitatem relatarum ad inicium personarum, & unitatem aequalis essentia.* Hieronymus in exposit. Symboli ad Damasum, ait; *tres personas proprietatibus distinguuntur; intelligit autem nomine proprietatum relationes.* Boëtius libro de Trinit. versus finem ait, *relatione multiplicari Trinitatem.* Damascenus libro primo, de fid. capite decimo, de persona Spiritus sancti ait: *Omnia habens, quae Pater habet, & Filius, excepta Ingenii & Genii proprietate.* Et capite undecimo. *Vnum quisque Deum cognoscimus, in solis autem proprietatibus, numerum Paternitatis, Filiationis, & Procreationis, atque quantum ad causam (originem intelligit).* *Ea quae ad causam proficiuntur, ac persona perfectionem, hoc est, existendi modum, discrimen adserimus.* Anselmus libro de process. Spiritus sancti capite primo. *Hac, inquit, sola causa pluralitas est in Deo, ut Pater, & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de se inicium; sed alij sint ad inicium; quia predicti duobus modis (generatione & processione) est Deus de Deo: quod totum dici potest relatio.* Similia habet libro de Incarnat. Verbi capite tertio. Denique Bernardus epistol. 190 ad Eugenium. *Alia illa, inquit, sunt profecto vocabula, quae non ad seipso dicuntur, sed ad alterutrum: & ideo est cuiusdam, & non communis cum altero.*

17 Secundo probatur ex Concilijs. In Concilio Toletano II. in Confess. fid. dicitur: *In relatione personarum cernitur numerus.* In Concilio Florentino sess. 19. Ioannes Latinus Theologus de divina substantia ait: *Ita ut in nullo alio differat, nisi quia Pater est Pater, & Filius, &c.* Et ibidem infra. sess. dicit, *hypostases (seu personas diuinias) ex essentia & proprietate constare, ita ut persona nihil aliud sit, nisi substantia & proprietas.* Loqui autem eum de proprietatibus relatiis mox ipsem declarat, cum ait: *Quae quidem substantia & proprietas, licet unum re ipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, quandoquidem ad aliquid sunt; ipsas tamen secundum substantiam Deum unum esse faciuntur.*

18 Et clarius sessione decima octaua, idem Ioannes ait: *Divina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectus nostra differre videntur.* Nam persona ex substantia proprietatibusque consistit, &c. Proprietates vero nequam communicabiles sunt: *quod quidem ex relatione vi creditur etenire, quemadmodum etiam Doctores veteri (Greci) praeclarus sanctus Gregorius Theologus in Epiphania sermone teneri.* Et infra, quid sit proprietatis ulterius declarat; *Propterea Doctores inquit, nil nisi principi habitudo est.* In qua quidem hec duo considerantur, a quo aliquid, & ad quod aliquid: ob idque Pater & Filius sunt, quod Pater principium est, Filius autem ex Principio; in quo quidem nequam

quam communicant, cum ceteri in rebus inter se dubio procul communicent, &c. *siquidem igitur diuina omnia, proprietatibus personalibus exceptis, inter se communicabiles sunt, &c.* Et denique inferius concludit: *sola namque Relatio, quam principalem habitudinem superioris nominauimus, apud omnes tam Grecos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa, a quo, & ad quod, de quibus est supra dictum, conueniuntur.* *Siquidem igitur Relationes huiusmodi personas multiplicant, ita ut non ultra alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac una persona ab alia differant, &c.* Et quamvis haec vnius Theologi dicta in Concilio vim definitionis minimè habeant, quia tamen Patrum saltem tacito assensu comprobata sunt, non exiguum autoritatem habent. Denique in cap. Firmetur de summa Trinitate & fide Catholica dicitur; *Trinitatem esse discretam per proprietates personales.* Vbi rursus de relatis proprietatibus sermo est.

19 Ex adductis vero authoritatibus, tametsi ad quasdam, quae de multiplicatione personarum loquuntur, per origines & relationes, respondent Scotus & Lychetus, posse intelligi de multiplicatione, non qua formaliter aliqua distinguuntur, sed quasi principiatiū, correspōdenter principio effectiū; aut quoad relationes loqui de distinctione a posteriori, & velut a signo; parum tamen id habet momenti; quia si hoc sensu locuti essent Patres, debuissent aliquando docuisse, propriet, formaliter, & intrinsecè constituti, & distinguiri per aliquid absolutum; quod tamen nunquam fecerunt, vt bene etiam Aureolus loco citato, præterquam quod allata ex Augustino, & Concilio Florentino (quod Scotus non vidit) clariora sunt, quam ut ullam eiusmodi interpretationem admittant.

20 Tertio probatur ratione, quae sumitur ex recepto axiomate Theologorum; *In diuinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et quamvis Scotus & Lychetus respondeant, etiamque proprietas personalis absoluta sit, nihilominus tamen relationis oppositionem, quae est inter personas, obstare, quo minus ea sit communis; *siquidem hoc ipso, quod personae sibi relativē opponuntur, non possunt earum proprietates, quamvis absolute, esse communis; ea tamen responsio vim non habet: quia secundum oppositam illam Scotti sententiam, persona prius ratione censetur habere, proprietatem absolutam, quam relativas origines, & proprietates;* Ergo in illo priori signo nulla potest obstare relativa oppositio, quo minus ea proprietates sint omnibus personis communis.

Atque ex hac assertione recte colligit Sanctus Thomas questione quadragesima articulo tertio, *remotis per intellectum relationibus personalibus, non remanere personas: secus est, si loquamus de relationibus non personalibus, vt est spiratio actiua, communis Patri & Filio.* Quae res nullam habet peculiarem difficultatem.

21 22 *Assertio IV. Persona diuinæ constituuntur, & distinguuntur relationibus personalibus, non forma-*

formaliter qua relationes, & ad aliud sunt; sed qua sunt res per se subsistentes, seu modi quidam substantiales, iuxta nostrum concipiendi modum, quasi determinantes, & incommunicabilem reddentes diuinam essentiam; quas idcirco *formas hypostaticas* licet appellare. Hæc est expressa sententia Sancti Thomæ cit. quæst. 40. art. 4. vbi ait: *Personales proprietas Patris (Paternitas) potest considerari duplum; uno modo ut est relatio; & sic secundum intellectum presupponit actum notionalem (nempe generationem, adeoque personam) quia relatio in quantum huiusmodi fundatur supra actum: alio modo secundum quod est constitutus personæ; & scilicet quod preintelligatur relatio actu notionali sicut persona agens preintelligitur actioni.* Et quæst. 29. articulo quarto ait: *Vocabulum personæ in diuina significare relationem in recto, &c. non tamen in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.* Eadem est sententia Capreoli & Ferrarensis locis citatis. Et facile in eundem sensum intelligi possunt Caetanus & Torres: quid enim est in illo signo, esse formam relatiui, non tamen exercere actum referendi; quam esse quidem à parte rei relationem & formam relatiuam, sed in eo signo, nondum concipi, vt est ad aliud actu & formaliter.

23

Neque ipsa aliud sentire potest Albertinus loco citato. Quid enim est, in primo illo signo, quo constituitur Persona Patris, relationem Paternitatis concipi, vt est forma hypostatica; & opponi filio vt principium productuum (non actu producens, sed potens producere filium) in posteriori autem aliquo signo habere & rationem originis, & denique etiam relationis prædicamentalis; quid hoc, inquam, esse potest aliud, quam in primo signo nondum concipi, vt formaliter & actu refertur ad filium; sed sub alia ratione forma hypostatica, aut principiis productiui in actu primo: quæ ratio in proposito non potest esse diuersa à priore; quia non aliter est, aut constituit principium productuum filii, nisi tribuendo rationem personæ; principium enim Quo est essentia, vt suolo loco dictum. Neque ea ratio vt sic includit veram, actualem, & realem relationem ad Filium, distinctam à relatione originis, & proprietatis relatiæ; nisi absque fundamento, & contra communem Theologorum doctrinam, multiplicare in Deo velimus relationes.

24

Quocirca pro declaratione assertionis, iuxta appetitam doctrinam S. Thomæ loc. cit. Notandum, Relationes personales in Deo, cū in alijs plerisque, tum hoc maximè à relationibus creatis differre, quod cum formaliter sint substantiales, non solum materialiter & identice (prout unum sunt cum essentia Dei) sed etiam per se ac formaliter duas planè diuersas rationes, & inter se minimè subordinatas includunt. Prima est, actu esse seu referre ad aliud; secunda est, esse modos quasi quoddam substantiales, contrahentes quodammodo seu determinantes naturam diuinam ad esse personale; quos idcirco Capreolus & Ferrarensis appellant *formas hypostaticas*. Quæ duæ rationes ideo virtualiter distinctæ rectè alteruntur, quod in

rebus creatis soleant esse re distinctissimæ; nec omnino possint vni quidditatæ creatæ conuenire. Quo modo etiam superius in simili diximus, actus intelligendi & amandi in Deo, simul habere & rationem perfectionis absolutæ, & rationem actionis seu productionis notionalis: & quo modo etiam Albertinus loco citato dixit, relationes diuinæ habere simul rationem & relationis transcedentalis, & rationem relationis prædicamentalis, &c.

Hoc posito probatur assertio ex dictis. Quia constitutum personæ Patris debet formaliter esse positivum quiddam, personæ proprium, & prius ratione, quam generatio; cum actiones non sint nisi suppositorum, præterit in diuini, vbi essentia non potest dicigenerare, vt suolo loco dictum q. 1. dub. 7. Atqui ante generationem, non potest concipi Paternitas sub formalizatione relationis, quatenus actu est, & refertur ad Filium; cum vt sic simul sit cum Filiatione, quia tamen ratione posterior est generatione activa: Ergo constitutum & intrinsecum distinctivum Patris est quidem relatio, sed non sub ratione, & conceptu formalis relationis, prout actu & formaliter est & refertur ad alterum. Atq; eadem est ratio ceterarum personarum, vt dictum assert. 2. Neq; tamen idcirco dixerim, quo modo Capreoli & Ferrarensis sententiam referit Albertinus, Relatione Paternitatis solum materialiter constitui & distingui personam Patris: quia ratio formæ hypostaticæ non tantum materialiter & identice, sed etiam formaliter & intrinsecè includitur, in ratione diuina relationis personalis; non minus quam ipsa ratio Entis substantialis, aut actualis habitudo ad aliud, vt dictum.

Assertio V. Originibus constituantur & distinguuntur personæ, non per se primo, & quasi formalis & intrinsecus distinctivo & constitutio; sed vel à posteriori, vel per modum via tendentis ad personas. Ita Sanctus Thomas cit. quæst. 40. art. 2. & communis contra Bonaventuram, Aureolum, & alios, loc. cit. Ratio à Sancto Thoma duplex adfertur. Prima. Quia proprium constitutum & distinctivum vnius cuiusque rei debet formaliter esse intrinsecum rei: origo autem alicuius rei non significatur vt aliquid intrinsecum; sed vt via quædam à re, vel ad rem: sicut generatio significatur, vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante: quam ob causam fieri non potest, vt res genita, & generans distinguantur sola generatione; sed necesse est intelligere tam in generante, quam in genito ea, quibus inter se distinguuntur: In persona autem diuina intrinsecè, & quasi in facto esse, secundum nostrum intelligendi modum, non est aliud præter essentiam & proprietatem. Cum autem in essentia conueniant, consequens est, vt per relationes personæ inter se distinguatur & constituantur.

Secunda ratio est. Quia si de origine actua loquamus, respectu personæ productientis, persona hæc prior est ratione, quam origo; V. G. Pater, quam generatio; si autem loquamus de professione sive origine actua, aut etiam passiva, respectu personæ per eam procedentis; hæc (persona proce-

26

27

procedens) ratione posterior est origine: cum origo sit quasi via & tendentia ad talēm personam. Quocirca nec in rebus creatis terminus formaliter & intrinsecè constituitur, aut distinguuntur motu, vel actione, seu etiam passione. Ex quibus concludit Sanctus Thomas; melius dici, quod personæ seu hypostases distinguuntur relationibus, quam per originem. Licit enim, inquit, distinguantur utroque modo, tamen prius & principalius per relations, secundum modum intelligendi. Quo sensu etiam idem Sanctus Thomas quæst. 8. de potent. articulo 3. dixit, rem aliquam posse distinguere, & constitutuere aliquo ut forma, & aliquo ut origine; & id quod distinguere ut forma, principalius distinguere, quam id quod distinguere ut via & productio.

²⁸ Assertio VI. Secundum rationem igitur Paternitas, quatenus est forma quasi hypostatica, prior est generatione etiam actiua; licet in quantum formaliter est ad aliud, sit posterior generatione. Hac est expressa sententia, & doctrina S. Thomæ cit. quæst. 40. art. 2. cum disertè ait; paternitatem ut est relatio secundum intellectum, presupponere actum notionalem, sive generationem; quia relatio, inquit, in quantum huiusmodi, fundatur supra actum; ut autem est constitutiva persona praetelligi actum notionalem, sicut persona agens praetelligitur actioni. Idem docent Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus, aliqui Thomista & Albertinus locis citatis: eisf Suarez libro 7. capite 6. & lib. 8. cap. 1. aliqui, nonnulli recentiores apud Albertinum negent, generationem vla ratione priorem esse paternitate; quasi relations diuinae nec supponant suppositum constitutum, (quod aliqua ratione cum Sancto Thoma cit. art. 2. ad 4. nos ipsi etiam fatemur) nec uniuersim supponant actum notionalem, seu productionem, in qua fundentur; sed simili natura constituant, & producant, & referant.

²⁹ Quod tamen intelligi non potest: quia ex communissima ratione Patris, omnis Pater formaliter ideo est Pater, quia genuit filium, ut iuxta Aristotelem 5. Metaphys. text. 20. & auctorem sex principiorum, recte etiam notauit Aureolus loco citato. Deinde filium esse, secundum rationem posterius est generatione actiua, cum haec sit via ad Filium, eiusque origo: Ergo etiam formaliter Patrem esse, secundum rationem posterius est generatione actiua: siquidem Pater & Filius sunt correlativa, quæ simul sunt tempore, natura & ratione, nec unum sine alio intelligi potest. Ex quo patet secunda pars assertio.

³⁰ Prior autem constat ex dictis assertione, precedente. Persona enim supponitur ad actum notionalem; ergo etiam forma & ratio personæ, quæ est relatio, non quidem formaliter in quantum actu est ad aliud; sed in quantum est forma quædam hypostatica, ut dictum. Qua ratione etiam difficultati & rationi dubitandi initio propositæ, aliarumque sententiarum fundamentis satisfactum est.

Ex quibus colligitur, plerosque recentiores in hac re aliquo modo à sententia S. Thomæ recedere; Molinam quidem & Gregorium de Valencia, quia æqualiter putant, personas constitui rela-

tionibus & originibus, nec inter eas satis distinguunt; Vasquez, quia negat personam Patris formaliter constitui Paternitate: Suarez, quia assertit, Paternitatem formaliter sub ratione relationis, & prout ad alium est, constitutere personam Patris, qui proinde etiam non potest explicare, quomodo ipsa sub ratione relationis sit posterior origine seu generatione actiua, vt expresse docuit S. Thomas loco citato.

³¹ Assertio VII. Constitutio personæ divinitatæ ex essentia & proprietate personali, rectius vocatur realis, quam rationis; quamvis haec potius sit quæstio nominis, quam rei. Probatur & declaratur. Nam constitutionem rationis appellat Vasquez disputatione 158. capite 2. Realem, appellant Thomistæ communiter, quibus consentit Albertinus cit. tom. 2. prædicam. Ad aliquid Coroll. seu quæstione 10. dubio 1. vbi docet, personas diuinas constitui verè ac propriè ex essentia & proprietate personali, hancque constitutionem esse formalem à parte rei, non tantum fundamentali, sine tamen villa compositione, non tantum formalis, sed etiam fundamentali, citatque pro ea sententia S. Thomam quæst. 40. Scotum d. 28. quæst. vlt. Gabrielem, & Durandum dist. 26. ac recentiores.

Sed vt benè notauit Suarez lib. 7. c. 3. num. 9. & c. 7. num. 9. quæstio haec de nomine est. Nam quia essentia & proprietas solum ratione distinguuntur, nec adeo à parte rei sunt plura; non videtur à parte rei aliquid ex illis posse constitui; si quidem realis constitutio alicuius ex pluribus videtur requirere realem pluralitatem & distinctionem eorum, ex quibus intrinsecè & realiter constituitur.

Nihilominus tamen, quia extrema constituentia, puta essentia & proprietas, non solum realia sunt, sed etiam ita distincta, ut à parte rei unum sit commune omnibus personis, alterum proprium unius, verè dici potest, ea à parte rei constitutere personam, siquidem persona realiter utrumque est, & ex vitroque existit. Quo sensu etiam Suarez loco citato ait, dici posse esse constitutionem realem ex parte rei significatæ, seu terminorum constituentium; rationis autem, ex modo significandi; qui significatur & concipiatur à nobis per modum compositionis, quæ à parte rei nulla est. Verum quia potius est habenda ratio rei significata, ac terminorum constituentium, quam imperfecti modi concipiendi, rectius absolute dici videtur, esse constitutionem realem; quod etiam modo loquendi Conciliorum & Patrum videtur esse convenientius; præsertim Concilio Florentino l.c. sess. 18. & 19.

Sed contra hanc doctrinam præcipue assertio ne 4. 5. & 6. propositam obijcitur primo. In illo priori signo, in quo iuxta assertionem quartam, constituitur persona Patris per relationem, ut est forma hypostatica diuina, nondum ponit rationem originis; siquidem in eo signo rationis, nondum est generatio, ex dictis: Ergo in illo priori signo, non potest persona Patris concipi ut distincta ab alijs personis & incomunicabilis; quia distinctio &

incom-

incommunicabilitas est ex origine relativa, ut relativa est. Ita Albertinus loc. cit.

Respondeo negando consequiam; ad probationem dico, iuxta assertionem quintam, distinctionem personae Patris ab alijs primario & formaliter non esse ex origine, sed solum secundario & quasi à posteriori: quare etiam ante originem & constituta, & distincta intelligitur persona Patris ab alijs, ut dictum.

34 Obijcitur secundo. Aut Paternitas, qua formaliter Paternitas est, constituit & distinguit personam Patris à Filio; aut non. Si formaliter qua Paternitas, ergo formaliter ut relatio, & ad alium est: si non: ergo relatio non constituit personam Patris, nisi materialiter; & quatenus idem est cum essentia, seu aliquo alio attributo absoluto; quod vult tercia sententia superius relata.

Respondeo ex declaratione assertionis 4. Paternitatem non absolute, sed Paternitatem diuinam, qua formaliter diuina Paternitas est, constituere personam; non tamen formaliter sub ratione relationis, sive prout actu est ad alium, sed sub ratione substantialis & hypostaticae forma determinantis personam: quia, ut dictum, proprietates personales diuinæ duas rationes formales habent, & rationem relationis, & rationem formæ substantialis ac hypostaticæ.

35 Obijcitur tertio. Aut paternitas quatenus constituit personam Patris, formaliter est, & referatur ad alium, nempe Filium; aut non: si sic; ergo sub ratione formalis relationis ad alium, constituit Patrem; si non; ergo ut sic est aliquid absolutum; quod enim formaliter ut sic non referatur ad alium, absolutum est; nec datur medium, inter absolutum & relativum.

Respondeo; Paternitatem ut sic formaliter, ac sub eo conceptu constituentis personam Patris, actu non referri: nec tamen ut sic est absolutum, sed abstractum ab utroque: sicut communis ratio entis ab utraqueratione abstractum. Et quāvis à parte rei non detur aliquid mediū inter absolutum & respectuum; datur tamen medium secundum rationem; qualis in proposito est ratio pro-

36 prietas personalis, quatenus formaliter est quasi quædam hypostatica.

Obijcitur quarto. Paternitas in quantum est constitutiva personæ Patris, aut formaliter intelligitur talis, aut non intelligitur. Si non intelligitur sub expressa ratione Paternitatis, non est verum, quod magis secundum nostrum intelligendi modum Paternitas constitut, quam generare; quod tamen assertione s. dictum. Sivero Paternitas sub expressa suaratione Paternitatis constitut; ergo in quantum huiusmodi vere intelligitur, ut quædam habitudo, & quædam relatio; & per consequens ut sic presupponit actum notionalem; Ergo impossibile est, ut per prius aut principius constitut, quam ipsemat actus notionalis. Ita Aureolus.

Respondeo, Paternitatem diuinam sub expressa suaratione constituere personam Patris, non quidem sub formalis ratione relationis & ad aliud, sed sub sua ratione formæ substantialis & hypostaticæ in facto esse, quod non conuenit origini ut sic, ex dictis.

37 Obijcitur quinto. Aut ratio formæ hypostaticæ eadem est, vel saltem formaliter includitur sub ratione formalis relationis, qua ad alium est; aut non: si sic; ergo frustra distinguuntur haec duæ rationes, neque consequenter negari potest, Relationes diuinas etiam formaliter qua relationes, & ad alium sunt, constitue & distingue personas diuinæ; si non: ergo frustra relationi tribuitur hec constitutio & distinctio; cum ratio relationis sit impertinens.

38 Respondeo, rationem formæ hypostaticæ, nec esse eandem, nec formaliter includi sub ratione, formalis relationis, prout formaliter & præcisè ad alium est; sed bene sub ratione relationis diuinæ adæquatè spectata: quæ, ut dictum, duplicum illam rationem virtualiter distinctam in se formaliter includit; ut proinde tametsi ratio relationis, ut est formaliter ad alterum, non sit formaliter constitutiva personæ, omnino tamen relatio ipsa constitut personam sub ratione modi illius substantialis & formæ hypostaticæ; quam nos quidem undequeque; absolutam diceremus, si non Ecclesia & SS. Patres oppositum nos docuerint.

Q V Ä S T I O IV.

De personis singulis in specie, carumque missione.

S. Thomas r. p. q. 33. 34. 35. 36. 37. 38. & 43.

Absolutur hec questio nouem dubitationibus. I. De varijs nominibus & appellationibus prima personæ, nimurum Patris; queque sit eorum nominum vis & significatio. II. De varijs nominibus & appellationibus secunda personæ, seu Filii; queque sit eorum ratio & usus. III. Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, que in Deo sunt formaliter; quam ipsarum etiam creaturarum. IV. De varijs nominibus & appellationibus tertia personæ, hoc est, Spiritus sancti; queque sit eorum significatio ac sensus. V. An & quareratione Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, ac per Filium. VI. An Spiritus sanctus distinguereetur à Filio, si ab eo non procederet. VII. An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio velut uno Principio & Spiratores, ac duobus spirantibus. VIII. An Pater & Filius se & creaturas diligant Spiritu sancto. IX. De missione diuinarum personarum; an scilicet, que, à quibus, ad quid, quando mittantur personæ diuine.

DV.